ejus non ſonat in foro, ſed in ſolitudine auditur, ubi fidelem animam alloquitur: *Ducam eam in ſolitudinem, & loquar ad cor ejus*. In ſpecubus, montibuſque ſeſe communicat Abrahæ, Jacob, Moyſi, & Eliæ. Non loquitur plena in luce, neque inter tumultum: ſed in nubis caligine, & in quiete ſilentii. Immo JESUS CHRISTUS ſolus fugit in montem, & in penitiora deſerti ſe recipit, ibi noctes in oratione tradúcturus: *Et erat pernoctans in oratione*. Quis neſcit, contemplationem extrinſecus magnam exquirere tranquillitatem, intus pacem extremam, ſanctum animæ otium, perfectam omnium facultatum immunitatem ab iis omnibus, quæ mortalia, & creata ſunt, atque integram mentis, & cordis ſupremo Enti applicationem? Non miror itaque, ſi quadraginta illis diebus, quibus Moyſes in ſancti montis cacumine manſit, illic cum Deo converſatus, quemadmodum (*inquit Scriptura*) amicus cum amico, nullo ſollicitatus fuerit manducandi, bibendi, aut fratrem, familiam, populumque ſuum reviſendi deſiderio. Adſpectus, & colloquium cum Deo erant illi eſca, & potus; ſinus ejus ſacer erat thorus, ubi eſtatico quieſcebat ſopore & præſent a illius, qui eſt principium, centrum, ac terminus omnium, illi erat omnia. Quam beati illi ſunt, qui oculos, aures, & cor clauſum habentes objectis omnibus ſenſibilibus, dignos ſe præbuerunt, quibus Deus faciem ſuam aperiret, ſuam vocem oſtenderet, eoſque repleret amore hoc, qui alium quemlibet amorem expellit, extinguit, & deſtruit! Beati illi qui omni ſibi cum hominibus, & creaturis interdicto commercio, meriti ſunt ingredi in commmercium Dei, ac vivere ſoli cum ſolo Deo! Beati illi demum, qui rebus omnibus, ac ſemet ipſis expediti ſe in eum ſtatum adduxere, ubi nihil præter Deum poſſent diligere. *Idem*.

Liquet, ſolitudinem ſacrum eſſe locum, ubi divina ſe communicat Majeſtas, eamque, ut Divi Chyſoſtomi vocabulo utar, eſſe veluti Sanctuarii aditum, atque veſtibulum. Maxima eorum voluptas, quibus perfectæ ſolitudinis ſpiritus adeſt, eſt incumbere, ut Dominum adorent, eique preces effundant; hac mentem illius potentiam, & magnitudinem revereantur; coram ipſo ſeſe in perfecta ſubmiſſione, quæ ab annihilatione ſui non diſtet, contineant; ſe jugiter in ſtatum adducant experiendi gratiæ, & bonitatis ejus effecta, illius imperia, & voluntates faciendi, filialem obedientiam præſtandi, & ſervilem ſubjectionem teſtandi. Fateberis ſane, hæc omnia pro mundo ænigma eſſe impeditiſſimum, at non illis, qui ſeſe ſolitudini devoverunt. Felici experientia didicerunt, quibus vinculis illos ad ſe Pater trahat, qua virtute illos attollat, quibus catenis illos retineat. Agnoſcunt, quam ſuavis eſt ſpiritus ejus, quam amabile imperium, & quam glorioſa ſocietas. O Deus quanti facio felices hoc ſolitarios! *Idem*.

Solitudo eſt neceſſaria, ut medeatur malis, quæ gignit diſſipatio mentis in mundo inevitabilis.

Quæ mala non adfert mentis, & cordis diſſipatio in mundi commercio? Hæc nos arcet ab objectis fidei, efficitque, ut ſpiritus immergatur imaginibus objectorum ſenſibilium, & cor inde acres impreſſiones recipiat, plurimum horum objectorum circumſtantiis afficiatur, moleſtis eventibus doleat, intemperanter proſperis gaudeat; verbo, fluxis rebus repleatur ac parum iis moveatur quæ nobis fidei proponit . . . Porro cum anima in rerum mundanarum occurſu infirma ſit, potior via ad eam obtinendam mentis collectionem, quæ neceſſaria eſt, ut divino cultui adhæreamus, eſt ab omnibus rebus exterioribus, quæ ſunt inutiles, & partim etiam ab illis, quæ bonæ ſunt, niſi neceſſariæ fuerint, recedere. Opus eſt ad tempus noſmet cum hominibus rudes, & agreſtes præbere, ſine charitatis detrimento, ne ab illis moveamur, qui nos vellent diſtrahere. Deinde tutius extra egredimur, atque cum proximis ea ſuavitate, & humanitate verſamur, quæ eorum nobis corda conciliat; cumque ita interiorem adepti ſumus animi collectionem, non ita facile eſt extrinſecus perturbari. *P. Surin tom.* I. *dialogorum ſpiritualium*.

Sæculares indigent ſolitudine, ut ſaluti ſuæ conſulant.

Quoad ſæculares attinet, ab inutilibus viſitationibus, & occupationibus debent abſtinere, ut domi ſuæ permanere, & cum Deo converſari aſſueſcant. Solitudo illis neceſſaria eſt, ut ex hac exteriori turba recedant, qua ſe duci ſinentes a ſummo bono recedunt, ab interiori parte, ubi illud habitat, diſcedentes. Non deſunt mortales, qui in omnimodam lapſi ſunt diſſipationem, hac illac diſcurrere, quærere ſocietates, ſpectacula, atque omne negotium ſuum in aſſidua oblectatione ſtatuere. Non ideo nobis vitam largitus eſt Deus, ſed ut eam in operibus ejus impenderemus. Qui illam abſumit inceſſanter oblectamentis indulgens, jam illius interiit ſpiritus. Non occupatur ille unico negotio, pro quo Deus illum creavit. Ut magnum hoc negotium proſpere cedat, te ipſum colligas opus eſt, & de illo agas cum Deo. Perfugium quærendum eſt ab ira Dei, ne eadem percutiaris. Hæc ingruit tanquam grando ſuper animas, quas extrinſecus invenit diſſipatas. Quam ob rem Iſaias Propheta cap. 26. inquit: *Vade popule meus, intra in cubicula tua, claude oſtia tua ſuper te, abſcondere modicum ad momentum, donec pertranſeat indignatio*. Hoc pacto cordis oſtium obſtruitur terrenis rebus, & cœleſtibus objectis aperitur.

Qui vere ſpirituales ſunt Deum in ſe ipſis quærunt.

Veri ſpirituales quærunt Deum in ſe ipſis, ac intra ſe illum inveniunt, ubi dici poteſt magis eſſe, quam alibi uſpiam in mundo. Illic proprie regnum ſuum conſtituit: *Regnum Dei intra vos eſt*. Illic nos revocat ab erroribus noſtris, & clamat, Sanctus Auguſtinus ait, ut ad eum revertamur. Per interiorem hanc converſionem Deum melius in nobiſmet ipſis quærimus, & invenimus, quam extra nos in creaturis. Hoc eſt piarum animarum exercitium. Studium earum eſt fugere externa, ac terrena impedimenta evitare, atque in ſemet ingredi, ut cor ſuum conjungant cum Deo. Alioquin toti foris ſumus, cum ſenſus appliciti ſint objectis, quæ illos ſuis percellunt illecebris, & quæ omnes ſpiritus vires abſumunt. *Idem c. 8. lib. 3.*

Quia a mundo ſeceſſerunt, ut in ſolitudine viverent, omne cum mundo commercium debent evitare.

Pleriſque eorum, qui mundum reliquerunt, ut in ſolitudine viverent, accidit, quod commercium, quod cum illo fovent, efficit, ut ſubinde in imo eorum corde reviviſcat, ubi minus id cogitant, & putant ſibi & propter pietatem, & receſſum nihil eſſe tale metuendum. Mundus illos ſemper retrahit, cum ad id eos diſpoſitos invenit, vel melius ipſi ſe iterum in mundum conjiciunt. Fax, quæ extinguitur, repente rurſus accenditur ſola, ſimplicique fumi communicatione. Extincta videtur, & revera eſt; attamen rurſus corripit ignem, quia aliquam adhuc habet rationem, & aliqua ex parte attingit id, quod illi reddere poteſt lumen, quo caret. *Abbas Trappenſis tomo* I. *chriſtianorum effatorum*.

Solitudo noſtra otioſa eſſe non debet.

Magna benedictio eſt in ſolitudine delituiſſe, ac vitam ſuam in ſilentio traducere, dummodo tantum deferatur Deo, quantum negatur hominibus, & cum illo totum habeatur commercium, quod non habetur cum illis. Attamen cum faciliimum ſit, inutilem in ſolitudine vitam ducere, ſeu illic maneas quin aliquid agas, ſeu actiones neque puræ, neque animatæ ſint, uti eſſe deberent centum eſt, non deeſſe tibi cauſam metuendi, ac diffidendi de omnibus viis tuis idque eo magis, quo difficilius eſt eas cognoſcere, quæ rectæ ſunt, ab illis quæ ſecus. *Idem*.

Solitudinis bona nunquam ſatis intelliguntur.

Beati, qui ſolitudinis guſtum ſentiunt, vel potius, qui ibi inveniunt Deum, eumque audiunt. Multi illuc divino ducuntur ſpiritu, quibus nihilominus Deus gratias eaſdem non largitur. Licet enim de hominum turba egreſſi fuerint, & ſolum deſiderium ſerviendi Domino, & conſulendi ſaluti ſuæ vera exiterit receſſus ſui cauſa immo impares ſint, qui rurſus caput mundum verſus, quam reliquerunt, convertant; tamen Deus juſtiſſimo conſilio ſinit, illos non carere agitationibus, & curis, neque permittit, ut profundam pacem, quam quæſiverunt, inveniant. Geſtit ille eorum exercere patientiam, & fidem, & fidei, atque perſeverantiæ ipſorum tandem concedit, quod illis converſionis initio negavit. *Idem*.

Initum ſecedendi ad aliquot dies conſilium non prodeſt, niſi curetur, ut conſilia, quæ ibi capi poſſunt, ad opus deducantur: etenim de ſtatu tuo nequaquam judicium ferendum eſt ex perfunctoriis diſpoſitionibus, in quibus es; ſed potius ex effectibus, & iis, quæ conſequuntur; neque enim deſunt plurimi, quibus ſatis eſt ad decem dies bonos eſſe, & frugi, ac mox ad intermiſſos habitus reverti. *Idem tomo primo*.

Beati ſunt illi, qui nullum amplius habent cum mundo nexum, & qui in ſolitudine vivere poſſunt, quin ab ordine a Deo conſtituto recedant. Hoc bonum eſt, quod ſatis non cognoſcitur; pauci illud cupiunt, & illi, quibus illud largitur Deus, & quos ipſe ſinit perfrui, ſæpe id minime faciunt, quod debent, ut omnes percipiant utilitates, & bona, quæ eidem adnectere voluit. *Idem*.

Sancti amarunt ſolitudinem & ibi ſanctificati ſunt.

Videmus prophetas, quos ſpiritu ſuo replere volebat Deus, vulgo in deſerta ſe recipere conſueviſſe. Divinus JESU CHRISTI Præcurſor illuc ingreſſus eſt ab infantia, ut orationi vacaret; innumeri novæ legis ſolitarii, & pœnitentes inſtiterunt veſtigiis primorum horum mundi ſolitariorum, ut ſanctitatem acquirerent. Et profecto heroicus eſt conatus, abrenunciare hominum ſocietati ob innocentiam tuendam S. Bernardus: *Nomen ſolitudinis nomen miſeriæ eſſe*. Quamobrem cum rationis particeps homo natus ſit ad ſocietatem, magnum Deo offert ſacrificium, cum illi abrenunciat. Attamen quantumvis triſtis ſit ſolitudo, hac in vita pars eſt communis animarum ſanctarum; hæ in ſolitudine purificantur, Deum agnoſcere diſcunt, & cum eo ſpiritualem contrahunt affinitatem. *Specimen orationum panegyricarum tomo ſecundo*.

SPECTACULA.

COMOEDIÆ, CHOREÆ, SALTATIONES.

MONITUM.

De alea, cæteriſque fortunæ ludis in titulo de ſolatiis egimus; hic vero agendum de ludis publicis, qui ſunt cum ſpectaculis conjuncti, cujuſmodi ſunt comœdiæ, & choreæ aliaque id genus, quæ integra pietate, pudore, & chriſtiana modeſtia vix, & ne vix quidem fieri poſſunt. Spectacula, quæ ipſi etiam Ethnici improbarunt, chriſtianorum Imperatorum leges proſcripſerunt, conciliorumque damnarunt: qua in re tria notanda ſunt illis, qui hujus argumenti concionem adornare aggredientur.

Primum eſt, plurimum intereſſe diſcriminis inter ea ſpectacula, quæ hodierna die exhibentur, & antiqua, contra quæ ſancti Patres ſummo zelo ſuccenſi invecti ſunt: quandoquidem ex theatris exularunt impietates ſacrilegæ, turpeſque obſcænitates, & quidquid urbanitati, & religioni palam erat oppoſitum; & chriſtiana religio penitus ſuſtulit amphiteatrorum crudelitates, & certamina gladiatorum, ubi humanus ſanguis effundebatur, atque hominum mors hilare erat ſpectaculum. Verumtamen his etiam temporibus non minus periclitatur pudor, aliique affectus, quos ſpectacula ciere poſſent; vitium enim, quod ibi ſæpe latet ſub alicujus virtutis perſona ſenſim, & ſine ſenſu in animum adrepit, & affectiones callide pertractatæ majorem impreſſionem efficiunt.

2. *Notandum eſt, ne nocentium ludorum, ſpectaculorumque nomine illa etiam complectaris, quæ omni culpa vacant, qualia ſunt equorum curſus, navalia certamina, prælia ferarum, in quibus leones cum tauris committuntur, aliaque id genus, quæ in publicis ſolemnitatibus populo ſpectanda traduntur.*

3. *Denique cavendum eſt, ne quid hoc in argumento nimis exaggeretur, & omnino ne mortalis peccati nota iis omnibus inuratur, qui comœdiis, vel choreis interſunt ſine ulla exceptione: quandoquidem non deſunt, qui facere nequeunt, quominus interſint urbanitatis ergo, & obſervantiæ erga eos, a quibus intereſſe coguntur: eorum vero, qui de more iiſdem interſunt, periculum ſatis exaggerari non poteſt. Attamen non licet nimis acribus Sanctorum Patrum locutibus uti, quas adferre debuimus, niſi aliqua modificatio adhibeatur.*

PARAGRAPHUS PRIMUS.

Variæ Concionum hujus argumenti lineamenta.

I. De periculoſis ſolatiis generatim, comœdiis, choreis, ludis publicis, ſpectaculis, mimiciſque, vel inhoneſtis repræſentationibus.

Non fert animus honeſta vituperare ſolatia: hæc nonnunquam neceſſaria etiam ſunt ad animum reficiendum ſeriis defeſſum occupationibus, nec non ad recreandum corpus laboribus nimiis infirmatum: ea vero probari nullo modo poſſunt, quæ peccati ſunt cauſa, & quæ mores corrumpunt. Hujuſmodi ea ſunt, quæ per pietatis relaxationem in chriſtianam religionem invecta ſunt, veluti choreæ, comœdiæ, & ſpectacula quædam ad voluptatem dumtaxat inſtructa: ubi tria poſſunt conſiderari, ex quibus tres concionis partes fiunt. 1. Solatia hæc eſſe profana, evangelicis præceptis, & Chriſtiani hominis officiis oppoſita. 2. Funeſta eſſe innocentiæ, boniſque moribus contraria. 3. Non ſine ſcandalo fieri, & per ea vitium probari.

Primum igitur, ut liqueat ſpiritui chriſtianæ religionis eſſe oppoſita, animadvertere ſatis eſt, chriſtianam religionem profeſſionem eſſe humilitatis, pœnitentiæ, & mortificationis, ac fugæ earum rerum omnium, quæ ſenſibus noſtris blandiuntur; e contra vero finem eorum, qui hæc nobis procurant ſolatia, atque hæc ſpectacula repræſentant, eſſe omnem, quam poſſunt, oculis, auribuſque præbere voluptatem, & palpare infelix illud ſtudium, quod homines in voluptatem pronos efficit; necnon conſilium eorum, qui ad hæc ſpectacula currunt, vel frequentes profanis hiſce cœtibus adſunt, eſſe eam omnem percipere, & guſtare voluptatem, quam in ipſis ciere poſſunt objecta, quæ illic exhibentur, & actiones, quæ ibidem fiunt. Quid ergo magis oppoſitum chriſtiani hominis profeſſioni, qui ad luſtrales baptiſmatis aquas pompis, vanitatibus, mundique voluptatibus abrenunciavit?

2. Hæc ſpectacula, atque ſolatia ad voluptatem tantummodo inventa innocentiæ funeſta ſunt, moreſque corrumpunt. Nihil hoc certius. Ibi enim videtur, ibi auditur, quidquid ad peccatum, vel dicam melius, ad flagitioſiſſimæ vitæ licentiam poteſt impellere. Cum hilaritate & voluptate in comœdiis audiuntur, atque videntur teneri amores, & alia ad libidinem promoventia; necnon conſpiciuntur mulieres iis omnibus circumornatæ illecebris, quas placendi cupiditas excogitavit. In choreis objecta nihil minus periculoſa ſunt; omnia libidinem perflant, loci, temporiſque circumſtantiæ, perſonarum in omnem hilaritatem effuſarum ſocietas, licentia quam ſibi quiſque vindicat &c.

3. Hæc ſolatia ſcandalo non vacant: qui illa præbent, fovent ſcandalum eorum, qui iiſdem intereſſe conſueverunt; quia ea quodammodo probant præſentia ſua, præſertim vero ſi illi ſint vel genere, vel dignitate aliqua conſpicui, vel qui morum probitate, ac vitæ meritis aliquam ſibi adepti ſunt exiſtimationem; alii enim eorum exemplo reguntur.

1. Cauſæ, quæ mundi ſectatores ad choreas, & theatra compellunt, efficiuntque ut frequentes id genus ſolatiis interſint, paſſim malæ ſunt; interſunt enim, ut ſatis ſuæ faciant curioſitati, & vanitati, ut videant, & videantur; neque ullam ſanam inveneris cauſam, quæ probare poſſit conſuetudinem eo conveniendi. 2. Quidquid ibi videtur, & auditur malum ſuadet, quod probare poteſt inductione eorum, quæ in hiſce laudis atque ſpectaculis accidunt. 3. Inde vero nihil refertur niſi innocentiæ jactura, ac prava impreſſio, quam efficere poſſunt amores ad vivum exhibiti, & perſonæ, quæ ſcenam agere viſæ ſunt. II.

Credunt, choreas potiſſimum theoretice ſolatium eſſe III.

eſſe omni culpa vacuum; verum ſi conſideretur in praxi. 1. Vides peccata, quæ committuntur, antequam illuc conveniatur, atque dumtaxat ut ſeſe mortales hujuſmodi ſpectaculis diſponant. Vanitates in deſiderio prodeundi, ſeſe oſtendendi, atque aliorum in ſe oculos convertendi propter ſaltandi peritiam, propter habitum, geſtumque corporis, vel propter aliam qualitatem. 2. In choreis, cum ſumus in cœtu; parum decentes licentiæ, illecebræ, blanditiæ, amatoria verba, ſolius cum ſola ſuſurri &c. 3. Poſt choreas ſpiritus mundanus, ſexcentæ cogitationes eorum objectorum, quæ oculos perculerunt, affectus ſæpiſſime noxii.

IV. Hæc ſpectacula, atque hæc genera ſolatiorum nemini licent, & vulgo peccat, qui iiſdem intereſt: 1. quia prava mente illuc accedit, & ſane difficillimum eſſet illuc accedere bona: 2. quia hæc ſolatiorum genera, quæ mortales tantopere depereunt, nullius decent ſtatum, ætatem, officium: 3. quia fere ſemper ſunt proxima peccati occaſio quibuslibet.

V. De choreis, & ſaltationibus particulariter. 1. Choreæ, & ſaltationes, quales hodierna die fieri conſueverunt, culpa non vacant, quia adverſantur profeſſioni religionis chriſtianæ. 2. Quia conciliis, eccleſiaſticaque doctrina prohibentur: quia ſunt occaſio plurimorum peccatorum, & perrarum eſt, ut inde æque innocens redeas, ut illuc te contulliſti.

VI. 1. Oſtendi ſimpliciter poteſt, nihil magis oppoſitum eſſe ſpiritui Chriſtianiſmi, & evangelii, quam choreæ, comœdiæ, atque tragediæ, quales paſſim exhibentur. 2. Nihilque aptius ad vitium ſuadendum, moreſque corrumpendos.

VII. 1. Spectacula, de quibus loquimur, vulgo criminoſa ſunt, ſi minus ex ſemet, ſaltem propter circumſtantias, quæ illa concomitantur, & quæ ab illis fere nequeunt ſeparari. 2. Licet hac de cauſa carerent culpa, non carerent tamen, quia nos ab officiis noſtris avertunt, & quia ſemper interdicta fuere Chriſtianis, tanquam profeſſioni eorum oppoſita.

VIII. De comœdia ſingillatim eo in ſtatu, in quo nunc eſt, quæcumque adhibita fuerit cura, ut honeſtior efficeretur, atque a ſordibus expiaretur. 1. Quamvis inſtituta fuerit, ut vitium corrigeretur, illius tamen ſchola potius eſt, ubi docetur iis vocibus, quæ licet honeſtiora videantur, illud tamen inſinuant, atque propinant. Callidæ ideæ, & jucundi caſus, qui horum poematum efficiunt epiſodia, ſceleri eam inducunt perſonam, propter quam ab auctoribus probatur, & celebratur: ſpectatores vero hoc in impudicitiæ lycæo diſcunt turpiſſimos etiam, nequiſſimoſque ſuos affectus excuſare per exempla, quæ ipſis ob oculos objiciuntur. 3. In populo vero comœdia damnum irreparabile gignit propter otium, quod fovet, & corruptionem, quam infert.

IX. Concionis de choreis vel comœdiis hoc quoque eſſe poteſt argumentum: 1. eas refellere rationes, quibus alii hæc ſolationum genera probare conantur: 2. eas vero adferre, quibus jure damnantur: *Ex ſpecimine ſermonum tom. 4.*

X. Oſtendi poteſt comœdia eo in ſtatu, in quo nunc eſt, nequaquam eſſe innocens ſolatium, quod plurimi arbitrantur, eamque Chriſtianus horrere debet tamquam malum, atque flagitium. Hoc facile liquebit, ſi ad examen revocabitur: 1. natura & finis comœdiæ, non qualis eſſe deberet in inſtitutione ſua, ſed qualem illi ſibi proponunt, qui eam vel componunt, vel agunt, vel audiunt: 2. illius circumſtantiæ, quæ longe plures ſunt, & omnes perniciosiſſimæ, quod ex tractatus hujus decurſu innoteſcet: 3. ejuſdem effectus, qui ut plurimum ſunt pernicioſi: quamobrem eccleſia, & doctores illi nigrum thita affixerunt &c.

XI. 1. Comœdiæ eo in ſtatu, in quo hodierna die eſſe feruntur, fovent, & augent crimina eorum, qui jam corrupti ſunt, quoniam eorum probant libidines: 2. eos vero, qui aliquam jam habent in vitia proclivitatem, omnino corrumpunt: 3. corrumpere etiam poſſunt innocentiſſimum quemque, qui a vitiis prorſus abhorreat.

XII. Comœdia, quantumvis innocens eſſe vel dicatur, vel exiſtimetur, ſemper habenda eſt tanquam malum, non autem tanquam honeſtum ſolatium, 1. quia occaſio eſt peccati, cui ſeſe objicere nefas eſt; raro illius occaſio remota eſt, & fere ſemper proxima: 2. peccatum eſt otii, amoris mundi hujus, perquiſitionis voluptatum ſuarum, & ſcandali, quod proximo præbetur: 3. eſt ſtatus habitualis peccati pro illis, qui de more theatris interſunt, & artem hanc exercent, vel fovent.

XIII. Repræſentationes theatricæ, ſpectacula, ſaltationes, & chorearum cœtus adverſantur: 1. qualitati & profeſſioni hominis chriſtiani, qui enim JESU CHRISTI fidem amplexus eſt, mundi pompis, ac voluptatibus abrenuntiavit: 2. legi chriſtianæ, quæ in ipſis etiam cogitationibus exigit puritatem: 3. bono exemplo, quod Chriſtianus in omnibus actionibus præbere tenetur.

XIV. De choreis, comœdiis, aliiſque id genus ſpectaculis. 1. Habitus iiſdem interveniendi extinguit in homine chriſtiano ſpiritum pietatis ac religionis: 2. prohibet vitæ civilis officia eo in ſtatu, in quo nos providentia conſtituit: 3. omnia mortalium genera ad magna obeunda flagitia diſponit.

XV. De ſaltationibus, & choreis ſingillatim. 1. Otium criminoſum eſt, cum in habitum migrat, ſemper indicio eſt, quod officia noſtra negligimus, ea, quæ ad ſalutem pertinent, contemnimus, pietatem, & religionem faſtidimus. 2. Occupatio eſt non ſolum periculoſa conſcientiæ, verum etiam peccato minime vacua? nulla ratio illas probare poteſt, niſi obedientia, aut neceſſitas, a quibus honeſte noſmet poſſumus diſpenſare: præterquamquod hoc non ita frequens accidit, ut migret in conſuetudinem. 3. Exemplum eſt pernicioſum, quod præbetur illis, qui id ſibi verterent religioni, niſi viderent homines alioquin bonos, qui ſcrupulum adimunt hujuſmodi ſolatiis paſſim intervenientes.

PARAGRAPHUS II.

Fontes; auctoreſque, unde hauriri copia poteſt ad propoſitas quæſtionum ſtructuras exornandas.

Sancti Patres.

SAnctus Auguſtinus lib. 3. conf. cap. 2. fuſius loquitur de inanibus theatrorum ſpectaculis, quæ ipſe quoque juventæ flore deperibat, ibi vero præſertim diſſerit de affectibus, quos in auditoribus gignunt funeſti caſus, qui ibi exhibentur.

Idem libro 2. de civit. cap. 13. docet comœdos apud Romanos infames fuiſſe. S. Ambroſius in capit. 7. S. Luc. ſaltationes in ipſa etiam vituperat adoleſcentia, ac in illis præſertim immodeſtos corporis geſtus perſtringit.

Idem in libris officiorum acriter invehitur contra chorearum conſuetudinem, ipſa Ethnicorum uſus auctoritate, a quibus damnatæ fuerunt.

Tertullianus integrum edidit librum de ſpectaculis, ubi capite quarto docet, fidelem, qui in baptiſmo mundi pompis abrenuntiavit, neceſſaria illatione ſpectaculis quoque abrenuntiaſſe.

Sanctus Cyprianus peculiarem edidit tractatum de ſpectaculis.

Idem in epiſtola ad Donatum oſtendit veterum criminum memoriam per theatricas repræſentationes inſtaurari, & perennari.

Minutius Felix *in Octavio* oſtendit, omnes paſſim ævo ſuo perhorruiſſe theatra propter crudelitates, & obſcœnitates, quæ illic repræſentabantur.

Theophilus Patriarcha Antiochenus in *libro adverſus calumniatores religionis chriſtianæ* teſtatur, ævo ſuo fideles a profanarum ſpectaculis abhorruiſſe.

Clemens Alexandrinus *libro tertio pædagog. cap.* 11. oſtendit circum, atque theatrum ſcholas eſſe, atque occaſiones licentiæ, ubi turpia quæque addiſcuntur.

Lactantius *libro ſexto inſtit. capit.* 20. *&* 21. oſtendit, hæc ſpectacula, præſertim vero comœdiam, apta eſſe dumtaxat moribus corrumpendis, eaque fugienda eſſe Chriſtianis cujuslibet ſexus, & ætatis.

Sanctus Chryſoſtomus *homil. prima ad populum Antioch.* affirmative reſpondet dubitantibus, utrum peccatum ſit intereſſe theatris, atque ſpectaculis.

Idem *homil. 3. de Davide, & Saule* minitatur ſe ab aditu templi prohibiturum eos, qui ad ſpectacula concurrunt, & prolixam habet contra id genus homines invectivam.

Idem *homil. 7. in Matth.* hortatur ad fugiendas hiſtrionum nugas, & obſcænitates, quæ ab illis dicuntur.

Idem *homil. 8. in Matth.* quæ tota eſt contra mimos, atque hiſtriones, quos vita hac indignos, publicaſque peſtes appellat.

Idem *homil. 38. in Matth.* diſſerit de flagitiis, quæ committuntur in theatris.

Idem *in Præfat. comment. in S. Joannis evangel.* non ſine indignatione refert, quid ævo ſuo fieret in theatris.

Idem *homil. 56. in Geneſ.* invehitur contra choreas, & cantiones, quæ in nuptialibus, aliiſque ſolemnitatibus invectæ fuerant: adeo illi perſuaſum erat hæc omnia crimine non carere.

Tertullianus *in Apologet. cap.* 38. teſtatur, fideles immunes fuiſſe ab Ethnicorum ludis, atque ſpectaculis, & habuiſſe ſpectacula magis jucunda.

Idem *cap. quarto libri contra ſpectacula* reſpondet obiicientibus in Scripturis nullibi prohiberi concurſum ad theatrorum ſpectacula.

Salvianus libro 6. de Prov. egregia plura habet hujus argumenti.

Aſcetici, aliique.

Sanctus Franciſcus Saleſius *p. 3. cap.* 32. *&* 33. introductionis ad vitam devotam loquitur eo modo de ſaltationibus, atque choreis, qui licentiam minime probat.

Pater Corderius *Tomo 2. Familiæ ſanctæ cap.* 11. *de ſolatiis* fuſius loquitur de choreis, deque periculoſis ſolatiis, ſaltationibus, & comœdiis §. 6. & 8.

Pater Heliodorus Pariſienſis in lib. cui titulus: *Sermone de Voluptatibus*, ſerm. 6. de comœdiis & 7. de choreis, & ſaltationibus.

Pater Senault in lib. qui inſcribitur: Monarcha, vel principis officium ſerm. 8. ubi agit de ſolatiis principis; & 7. ubi loquitur de comœdia, aliiſque ſpectaculis.

Pater Suffrem tom. 1. anni chriſtiani cap. 9. art. 2. §. 3. oſtendit quomodo te gerere debeas in choreis & ſaltationibus.

Petrarcha fuſius de choreis verba fecit, & quodam in dialogo oſtendit earum vanitatem.

Petrus Gregorius inſignis juriſconſultus paſtoris officium ſibi vindicare non putat invehens contra comœdias, quaſi contra publicum flagitium.

Comitulus eximium edidit tractatum hiſpanice de bonis honeſti laboris, ubi abſolute profana hæc ſpectacula damnat.

S. Carolus Borromæus in egregio tractatu, quem edidit de choreis, oſtendit illas ſacrorum Bibliorum, Conciliorum, Patrumque auctoritate damnari.

Sereniſſimus Princeps de Conty in vulgo prodidit tractatum de comœdia & ſpectaculis juxta eccleſiaſticam traditionem.

Thiers Theologiæ doctor, & Parochus *Champrond* in tractatu de ludis, & ſolatiis cap. 25. loquitur de ſaltationibus, atque comœdiis.

Dominus Nicol celeberrimus præter egregia, quæ edidit opera, peculiarem habet de comœdia tractatum.

Pater Quillebeuff, Pelletier, Voiſin, & alii, qui videri poſſunt in collectione operum contra Patrem Camaro, & in excerptis operum plurimorum eccleſiæ Patrum, egerunt de ſpectaculis.

Meldenſis Epiſcopus tractatum edidit ad comœdiam pertinentem.

Liber, cui titulus: Chriſtiana Inſtructio pro educatione Puellarum, cap. 13. loquitur de choreis, ſpectaculis, & comœdiis, quæ chriſtianis virginibus interdictæ ſunt.

Pater Lebrum Presbyter Oratorii in lib. qui inſcribitur: Sermones de comœdia.

Liber, cui titulus: Chriſtianarum Familiarum Pædagogus, ubi fuſius de comœdia, & mox de choreis & ſaltationibus ſermo eſt.

Auctor dictionarii moralis tomo 1. titulo Bacchanalium, plures habet de ſaltationibus, choreis & comœdiis conſiderationes.

Pater Croiſet in ſpiritualibus conſiderationibus agit de ſaltatione, comœdia, & ſpectaculis.

Baldeſanus in lib. cui titulus: Stimuli virtutum cap. 19. contra profanorum ſpectaculorum vanitatem.

Concionatores nuperi.

Pater Le Jeune presbyter Oratorii recens in meliorem formam redactus ſerm. 16. loquitur contra Choreas.

Specimen ſermonum, Sermo pro Dom. 23. poſt Pentecoſt. eſt contra ludos, choreas, & publica ſpectac.

Pater Cheminais in ſerm. de Conceptione B. Virginis aliquid habet admodum ſenſatum de comœdia.

Auctor ſermonum in omnia Ethicæ chriſtianæ argumenta tomo 2. integrum habet ſermonem contra choreas, comœdias, & alia ſpectacula.

Qui collectanea ediderunt.

Drexelius lib. 3. Nicetæ cap. 7.

Buſſeus in Panario tit. Choreæ.

Peraldus, in remediis contra Luxuriam cap. 3. de Choreis.

PARAGRAPHUS III.

Loci, exempla, & applicationes Scripturarum huic argumento.

S*Edit populus manducare, & bibere, & ſurrexerunt ludere.* Exod. 32.

Cum appropinquaſſet Moyſes ad caſtra, vidit tumultum, & choros: iratuſque valde, projecit tabulas, & confregit eas ad radicem montis. Ibidem.

Filii hominum, ut quid diligitis vanitatem? Pſ. 4.

Me irritaverunt in vanitatibus ſuis. Deut. 32.

Non ſedi cum concilio vanitatis. Pſ. 25.

Odiſti obſervantes vanitates. Pſ. 30.

Averte oculos meos, ne videant vanitatem. Pſ. 118.

Beatus vir, qui non reſpexit in vanitates, & in inſanias falſas. Pſ. 39.

Qui amat periculum, in illo peribit.

Cum ſaltatrice ne aſſiduus ſis. Eccli. cap. 9.

Nunquam cum ludentibus miſcui me. Tob. 3.

Non ſedi in concilio ludentium. Jerem. 15.

Die naturali Herodis ſaltavit filia Herodiadis, & placuit Herodi. Matth. 14.

Quæcumque ſunt vera, quæcumque pudica, hæc cogitate. Ad Philipp. 4.

Turpitudo, aut ſtultiloquium, aut ſcurrilitas, quæ ad rem non pertinet, &c. Ad Epheſ. 5.

Exempla ex veteri, novoque teſtamento deſumpta.

Iſraelitæ choros duxerunt circa vitulum aureum.

M*Agiſter omnis impuritatis, qui docuit Idola colere, docuit etiam ludere*, S. Ephrem inquit. Hoc videmus in priſcis Iſraelitis, qui vitulum aureum coluerunt, & poſtquam adoleverunt illi thus, circum illum choreas egerunt: *Sedit populus manducare, & bibere, & ſurrexerunt ludere.* Hæc omnia ſimul juncta nobis oſtendunt, Pater idem ait, ab eodem magiſtro & Idolorum cultum, & ſaltationum morem invectum fuiſſe, quoniam dæmon per idola repræſentatur, atque ſub variis nominibus latens ſæpe adorari voluit choreis, publiciſque ludis quendam religionis cultum indigitantibus.

Lætitiæ ſigna per choreas edita, & in Scripturis memorata longe alia ab hodiernis.

Inficiari nemo poteſt, veteris teſtamenti ſanctos viros nonnumquam lætitiam ſuam quadam choreæ, ludorumque publicorum ſpecie fuiſſe teſtatos; verum hoc accidebat, ut Deo gratias agerent ob factum aliquod, quod præclare illis ceſſerat ex ſententia, vel ob inſignem aliquem favorem, quem ab eodem acceperant, & hæc hilaritatis ſigna ſemper concomitabatur quidam religioſus cultus, quem domino adhibebant. Ita Maria ſoror Moyſis chorum, vel potius triumphum ducere cæpit, poſtquam populus ex Ægyptiaca ſervitute liberatus fuit, & Pharao fluctibus Erythræi maris ſubmerſus. Hoc item præſtitit David coram arca de Philiſtinorum manu reducta. In Bibliis plura legimus cantica ſimilibus in occaſionibus recitata; immo etiam occurrunt feſtivitates quædam non ſine apparatu celebratæ, quod ſine ſpectaculo fieri non poterat. Verum enim vero hæ choreæ, hi cantus, hæc ſpectacula fiebant ob cauſas longe alias ab iis, propter quas mundana ſolatia inſtituuntur, quæ ſæpe, ac jure damnavit eccleſia. Tunc recinebant, pſallebantque, ut celebrarent victorias, quas Deus de hoſtibus ſuis referebat, atque ut teſtarentur lætitiam, qua perfundebantur videntes domini ſui gloriam & honorem: ſed in ſpectaculis mundi ſectatores ſuas quærunt voluptates, ſuaque ſolatia, & vanitas, immodeſtia, licentia, & impudicitia fere nunquam abſunt ab hujuſmodi ſaltationibus, choreis atque gaudentium, lætantiumque conventibus. Quam ob rem chorearum, quæ in Scripturis narrantur, exempla nullo modo probare poſſunt, & excuſare profanas hujus temporis ſaltationes.

Choreæ voluptatis, & ſolatii in antiqua lege damnatæ.

In Ezechiele Propheta cap. 25. Deus ad filios Jeruſalem loquens mira hæc illis profert verba: *Pro eo quod plauſiſti manu*, & *percuſſiſti pede, & gaviſa es ex toto affectu ſuper terram Iſrael: idcirco ego extendam manum meam ſuper te, & tradam te in direptionem gentium, & interficiam te de populis, & perdam de terris, & conteram; & ſcies, quia ego Dominus.* Filiæ & mulieres Iſraelitarum choreis & idolorum cultu Deum irritaverunt; quare Moyſes dolore confectus legis tabulas confregit, imperavitque Levitis, ut illas occidione delerent. Uxor junioris Tobiæ ſeipſam coram Deo excuſare volens teſtatur ſe nunquam ludis, & choreis interfuiſſe, & S. Chryſoſtomus animadvertit, in nuptiis Abrahæ, Iſaac, & Jacob, aliorumque ſanctorum patriarcharum nullibi mentionem fieri de choreis, aliiſque id genus mundanis oblectamentis, ſed tantum de laudibus, & gratiarum actionibus, quæ cauſa erat, propter quam Deus eorum conjugiis benedicebat, eaque fortunabat.

Dinæ exemplum docere virgunculas debet, ne choreis, & ſolatii cœtibus interſint.

In Geneſi cap. 34. legimus, Dinam virginem quindecim annos natam, cum ex paterna domo ſola fuiſſet egreſſa ſine ſocia, & ſine facultate, acta inani curioſitate videndi choreas atque feſtos dies filiarum Sichem, raptam vi fuiſſe, ideoque propter illam totum Sichimitarum populum interneciо-

-necione occiſum fuiſſe. Hæc hiſtoria tragica, atque funeſta efficere profecto deberet virgines cautiores, eaſque docere, ne adeo facile ſe ſe objiciant occaſionibus, in ſaltationum, & ſpectaculorum conventibus, ubi earum ſemper periclitatur pudicitia.

Malum & ſcelus, quod peperit ſaltatio filiæ Herodiadis coram Herode.

In S. Matthæi evangelio cap. 14. videmus ſaltandi peritiam cauſam fuiſſe, propter quam Præcurſor filii Dei obtruncaretur, & caput S. Joannis Baptiſtæ, qui poterat, ut inquit S. Chryſoſtomus, totum terrarum orbem convertere, fuiſſe pretium ſaltatricis. Dæmon non aliam invenit validiorem viam, ut ab Herode obtineret mortem magni hujus viri, quem Judæa univerſa admirabatur, Joſepho hiſtorico teſte, quam ſaltantem inducere coram rege laſcivientem puellam calamiſtris bene comptam, muliebrique mundo ornatam, atque ea in arte peritam. Fierine poſſet, ut non execraremur id, quod tantum peperit damnum, tantumque crimen, licet nil aliud nobis ſuppeteret, quod choreis, & ſaltationibus objiceremus? Dei filius ſatis aperte oſtendit, quid ipſe de ludis, choreis, ſpectaculiſque ſentiret eo in miraculo, de quo in evangelio ſermo eſt, cum Archiſynagogi filia ad vitam revocavit; miraculo, quod operari noluit, donec ea in domo verſabantur ſaltatores, atque tibicines, quam ob rem imperavit, ut ejicerentur, antequam illuc ingrederetur: *Dicebat recedite*. Matth. 9.

Applicationes quorumdam Scripturæ locorum huic argumento.

In ſpectaculis nihil niſi vanitas videtur, & vanitatem amat, qui illa conſectatur.

A*Verte oculos meos, ne videant vanitatem.* Pſ. 118. Hic unus ex iis locis eſt, quibus utebatur S. Ambroſius, ut fideles a theatricis ludis averteret. Num dubitatis, ajebat ille populo ſuo, utrum hi ludi in vanitatum numero ſint recenſendi? Quomodo Chriſtianos illos perquirere poteſt ſciens, JESUM CHRISTUM in carne ſua vanas mundi voluptates crucifixiſſe. Averte, Domine, oculos meos ab his ſpectaculis, ubi vanitas, pompa, magnificentia, & quidquid illecebrarum in mundo eſt, maxime nitet; quid enim in hujuſmodi ſpectaculis videtur, niſi objecta, quæ nos fallere poſſunt, nobiſque vanitatis amorem immittere?

Quæritur tentatio, & ultro ſe ſe illi objicit, qui comœdiæ intereſt.

Qui amat periculum, in illo peribit. Eccl. 3. Conſiderandum eſt, comœdiam tentationem eſſe ultro quæſitam; quæ res longe Dei gratiam ſemovet, eumque impellit, ut nos noſtræ facilius tradat corruptioni, quam alia quæpiam tentatio, quæ non opinantibus ingruit. Temeritas, ſuperbia, & impietas eſt credere, ſe ſine gratia reſiſtere poſſe iis tentationibus, quæ in comœdiis occurrunt: præſumptio vero, & inſania eſt exiſtimare, nos ſemper divinitus eripiendos eſſe ex eo periculo, cui ipſi ultro temere, ac ſine neceſſitate noſmet objicimus.

Theatrum, & ſaltationes a S. Jo. damnantur in tribus cōcupiſcentiis mundum cōponentibus.

Omne, quod eſt in mundo, concupiſcentia carnis eſt, & concupiſcentia oculorum, & ſuperbia vitæ 1. Joan: cap. 2. S. Joannes proculdubio damnat inanes theatri voluptates, cum inſpirat Chriſtianis horrorem erga ea, quæ ſapiunt mundi hujus voluptates, & quæ excitare poſſunt concupiſcentiam carnis, concupiſcentiam oculorum, & ſuperbiam vitæ. Ubnam enim tria hæc vitia collecta magis inveniuntur, quam in theatris? Hoc ipſum Seneca teſtatus eſt dicens: *avarior redeo, ambitioſior, luxurioſior* ex theatris. Quid autem dicemus de locis omnibus, ubi Sanctus Paulus mulieribus, atque virginibus etiam atque etiam modeſtiam commendat? Credemuſne, illas ſimul & comœdas eſſe poſſe, & æque modeſtas, ut S. Paulus requirit? & nobiſmet perſuadere poterimus, mulierem ſeſe omni induſtria, qua fieri poteſt, comere, & exornare, ut ad choreas, vel comœdias ſe conferat; & nonnullas etiam ipſa theatra conſcendere vocibus additura geſtus, tonum, & eas dicendi, agendique rationes, quæ ad amorem ciendum aptiſſimæ ſunt, contra quas homines ſemper ſibi diligentiſſime cavere debent?

Seſe conſuetudini hujus ſæculi conformat, qui mundi hujus ſolatia amat, & quærit.

Nolite conformari huic ſæculo: ad Roman. 12. Nonne metuendum eſt, ne qui in mundanis ſpectaculis tantum voluptatis percipiunt, qui tanto ardore ad theatra feſtinant, & qui tantopere choreas ipſas deperennt, ſeipſos conforment ſpiritui hujus ſæculi, quæ manifeſta eſt nota reprobationis? Hic autem ſpiritus in eo pretio conſiſtit, in quo mundi pompæ, & vanitates habentur: deinde vero in iis ſenſibus, qui hauriuntur, & ſunt chriſtianæ diſciplinæ contrarii, ac tandem in pietatis tepore, atque in contemptu omnium exercitiorum, quibus illa fovetur: hoc autem nonne iis accidit, qui frequenter ſaltationibus, atque comœdiis interſunt? Ubine ſunt, qui ſæculi vanitates magis inſectentur, qui mundi ſpiritu magis repleti ſint, & qui minus divina ſapiant? *Nolite conformari huic ſæculo.* Nolite imitari horum mortalium exemplum, niſi vultis eſſe, ut illi, ſectatores ſæculi, ſolatiorum, & voluptatum amici, & inimici Dei.

Felicitas eorum, qui has vanitates deſpiciunt.

Beatus vir, qui non reſpexit in vanitates, & inſanias falſas. Pſalm. 39. Hoc nomine vocanda ſunt hæc ſpectacula, atque ſolatia, de quibus, ut minimum dici poteſt, quod nos ſemper peccandi periculo objiciunt: *Beatus vir, qui non reſpexit.* Etenim quo magis illinc abeſt, eo magis abeſt a ſcelerum occaſione, quæ poſt ipſum crimen habenda eſt malorum omnium maximum, &c.

PARAGRAPHUS IV.

Loci & ſententiæ ſanctorum Patrum hujus argumenti.

R*Apiebant me ſpectacula theatrica, plena imaginibus miſeriarum, & fomitibus ignis mei.* Aug. lib. 3. Confeſſ. cap. 2.

Melius eſt die Dominica orare, quam choreas ducere, Idem, in Pſ. 91.

Animarum peſtis, probitatis & honeſtatis averſio. (*Ita vocat ſpectacula theatrorum.*) Idem, lib. 1. de Civit. cap. 33.

Iſta conſuetudo balandi, de Paganorum obſervatione remanſit. Idem, Sermone 1. de Tempore.

Avertamus oculos noſtros a vanitatibus theatrorum, ne quod oculos viderit, animus concupiſcat. Ambroſ. in Pſalm. 118.

Comes deliciarum eſt extrema ſaltatio. Idem, lib. 3. de Virgin.

Quid ibi verecundiæ poteſt eſſe, ubi ſaltatur? Idem, ibid. lib. 2.

Nequitiarum chorus (ita ſaltationes appellat.) Idem lib. de Cain & Abel.

Saltet, ſed adulteræ filia; quæ vero pudica, quæ caſta eſt, filias ſuas religionem doceat, non ſaltationem. Id. l. 3. de Virgin.

In theatris conſpicies, quod tibi dolori ſit, & pudori. Cyprianus, Epiſt. ad Donatum.

Admonetur omnis ætas fieri poſſe, quod factum eſt. Idem, ibid.

Diabolus artifex, quia idololatriam per ſe nudam ſciebat horreri, ſpectaculis miſcuit, ut per voluptatem poſſet amari. Idem, ibid.

Ab omnibus ad ſpectaculum concurritur, commune dedecus delectat, vel recognoſcere vitia, vel diſcere. Idem ibidem.

In his ſpectaculis, depoſita verecundia, audacior aliquis fit ad crimina, diſcit facere, dum conſueſcit videre. Idem, ibidem.

Fugienda ſunt iſta Chriſtianis fidelibus, tam vana, quam pernicioſa. Idem, ibid.

Cito in hoc aſſueſcimus, quod audimus, ſcelere. Id. ibid.

Avocandus eſt animus ab iſtis, habet Chriſtianus ſpectacula meliora, ſi velit. Idem, ibid.

Quomodo qui deſident in theatro, qui nihil ſani neque audiunt, neque vident, qui undique obſidionem patiuntur, per aures, per oculos, poſſunt ſuperare concupiſcentiam? Chryſoſtom. Homil. 15. ad Popul. Antioch.

Nihil obſcœnius illo oculo, qui ſpectare talia patienter poteſt. Idem, Hom. 6.

Quidquid illic dicitur & fit, Sathanæ pompa eſt. Idem, in præfat. comment. in Joannem.

Omnis virtutis peſtis (ſaltatio.) Idem, Hom. 3. in Matth.

Nemo ad voluptatem venit ſine affectu, nemo affectum ſine caſibus ſuis patitur. Tertullian. de ſpect. cap. 15.

Tragœdiæ & comœdiæ ſcelerum & libidinum actrices cruentæ, laſcivæ, & impiæ. Idem, cap. 8.

An ille recogitabit eo tempore de Deo, poſitus illic, ubi nihil eſt de Deo? Idem, cap. 23.

Nemo in ſpectaculo jucundo prius cogitat niſi videri & videre. Idem, cap. 25.

In omni ſpectaculo nullum majus ſcandalum occurrit, quam ille ipſe mulierum & virorum occurſus. Idem, ibid.

Quale eſt, illas manus, quas ad Deum extuleris, poſtmodum laudando hiſtrionem fatigare! Idem, ibid.

Studium placendi illicitum eſt. Idem, de velandis Virgin. cap. 3.

Viri & fœminæ communes conſtituentes choros ſeſe invicem libidinum telis confodiunt atque lacerant. Baſilius, Hom. 4. in ebriet. & luxum.

In theatris nil reatu vacat. Salvianus, lib. 6. de Gubern. mundi.

In ſpectaculis quædam fidei eſt, & a ſymbolis ipſius, & cœleſtibus ſacramentis lethalis prævaricatio. Idem, ibidem.

Quomodo, o Chriſtiane! ſpectacula poſt Baptiſmum ſequeris, quæ opus eſſe diaboli confiteris? Idem, ibid.

Renunciaſti ſemel diabolo & ſpectaculis ejus, & per hoc neceſſe eſt, ut prudens & ſciens, dum ad ſpectacula remeas, ad diabolum te redire cognoſcas. Ibid.

Spectacula hæc publica maxima ſunt irritamenta vitiorum, & ad corrumpendos animos potentiſſime valent. Lactantius, lib. 6. Inſtit. cap. 20.

In ſcenis neſcio, an ſit corruptela major vitiorum. Idem, ibid.

Carmen compoſitum, & oratio cum ſuavitate decipiens, capit mentes, & quo voluerit, impellit. Idem, cap. 28.

Hiſtrio enervit, dum amorem fingit, infligit. Minutius Felix, in Octavio.

Non concinne ſtudia & theatra peſtilentiæ cathedram quis vocaverit. Clemens Alexandrin. lib. 3. Pedagog. cap. 11.

Magna iniquitate pleni ſunt hi cœtus, & occaſio conventus cauſa eſt turpitudinis, cum viri & fœminæ permixtim conveniunt, alter ad alterius ſpectaculum. Idem, ibid.

Prohibeantur ergo ſpectacula, quæ nequitiæ, verbiſque obſcœnis & vanis temere profuſis plena ſunt. Idem, ibid.

Alimenta vitiorum . . . irritamenta vitiorum. (Vocat ſpectacula) Lactant. loc. cit.

Quid juvenes faciant, cum hæc & fieri ſine pudore, & ſpectare libenter ab omnibus cernant? Idem.

Per ludum choreas intelligo, quas peccatum eſſe manifeſtum eſt. Hugo Cardinalis.

Magiſter omnis iniquitatis, qui docuit idola colere, docuit etiam ludere. S. Ephrem.

A theatro ſeparamur, quod eſt privatum conſiſtorium impudicitiæ; ubi nihil probatur, quam quod alibi non probatur. Tertull. lib. de ſpectaculis.

Siccine exprimitur publicum gaudium per publicum dedecus? Tertull. in Apologet.

Spectaculorum impuritates unum faciunt agentium & ſpectantium crimen. Salvian. lib. 6. de Gubern.

Animarum peſtis, probitatis & honeſtatis everſio, ſpectacula. Auguſt. lib. 1. de Civit. cap. 33.

Dum animas interficiunt, ludere ſe opinantur. Lactant. de vero cultu, cap. 20.

Deus prohibuit ſpectari, quæ prohibuit fieri. Cyprian.

PARAGRAPHUS V.

Quid ex Theologiæ penu hoc in argumento depromi poſſit.

Quid ſit comœdia, & tragœdia.

IDea generalis, quam de comœdia concipere poſſumus, quatenus ad noſtrum pertinet argumentum, non aliud eſt, quam repræſentatio naturalis actionis, vel ut melius dicam, eventus alicujus in ſua ſubſtantia & circumſtantiis. Nec vera eſt pictura, ubi verba pingunt cogitationes, & actio ipſas res exhibet, & facta. Argumentum, de quo agimus, non requirit diſtinctam cognitionem ſpecierum poematis drammatici, intra quas eſt comœdia, cujus propria differentia eſt, eſſe repræſentationem jucundi alicujus, & feſtivi facti, quod inter homines e plebe accidit: cum pro tragædia intelligatur repræſentatio ſeria actionis funeſtæ, & inſignis ex imitatione calamitatis, quæ accidit viro alicui magni nominis, aut meriti. Tragicomœdia tandem repræſentatio eſt facti alicujus, in quo perſonæ principes graviſſimis urgeri videntur malis, quæ ſub finem felici eventu delentur. Hoc in argumento nihil ultra dicere opus eſt; etenim, quin ullam habeamus rationem proprietatis vocabulorum, & diſcriminis inter varias poematis drammatici ſpecies, omnia comœdiæ nomine complectemur.

Comœdia, aliaque theatricæ repræſentationes per ſe indifferentes ſunt ſed in circūſtantiis ſuis periculoſæ.

In generali hæc idea theatrica drammata, quæ comœdiarum nomine complectimur, quæ eorum una dumtaxat ſpecies ſunt, per ſe neque bona, nec mala ſunt quoad mores. Omnia argumentorum genera, omneſque circumſtantias poſſunt admittere, & donec ita indeterminata ſunt, ſunt etiam indifferentia; hoc eſt, neque vituperationem, neque approbationem merentur. Sed agitur hoc in loco de comœdia, aliiſque theatricis drammatibus, quales hodierna die agi conſueverunt, quæ ſin minus impia, inhoneſta, & obſcœna ita ſunt, ut erant olim apud Ethnicos; experientia tamen oſtendit, hæc non minus eſſe periculoſa.

Diſtinctio drammatum in bona, & mala.

Fatendum eſt theatrica drammata vel innocua eſſe, vel nocua, vel partim nocua, & innocua partim. Primis eccleſiæ ſæculis in Ethnicorum theatris nihil non flagitioſiſſimum habebatur; quæ res ſanctorum Patrum zelum inflammavit contra comœdias; ipſaque eccleſiæ fulmina adhibita fuere contra hæc profana ſpectacula, quæ reipſa integerrimos quoſcumque mores corrumpere poterant; & cum legimus Tertulliani, S. Cypriani, S. Chryſoſtomi, & Salviani invectivas contra Chriſtianos, qui hiſce ſpectaculis, atque repræſentationibus intererant, videmus de his loqui tamquam de apoſtatis & profugis a fide, & religione. Sed certum eſt, neque eccleſiam, neque Patres unquam damnare voluiſſe pia drammata, cujuſmodi eſt tragedia, cui titulus; Jeſus Chriſtus patiens, compoſita a ſancto Gregorio Nazianzeno, neque alia id genus plura, quæ ſanctas teſtamenti utriuſque referunt hiſtorias. Profanæ hiſtoriæ uberiora ſuppeditant theatro argumenta, & ſæculi mores ampliorem illi materiam miniſtrant; ubi ſi omnia decenter pertractentur, uti religio, & publica honeſtas requirit, quod in collegiis puerorum fieri conſuevit, horum drammatum innocentia ea ab omni protegit cenſura. Hæc enim drammata adoleſcentes ad eloquentiam informant atque efficiunt, ut publice loqui non erubeſcant. Moribus etiam corrigendis prodeſt, qui comœdiæ finis eſſe debet. Quod ſpectat ad ambigui argumenti drammata, ubi mala mixta ſunt bonis, liquido conſtat, permittendum non eſſe, ut vel agantur, vel audiantur, niſi prius caſtigentur, & reformentur.

Comœdiæ ſingillatim omnes fere ſunt moribus pernicioſæ.

Sin autem ſimplicem comœdiam inſpicere lubet, non amplius in fine ſuo, ſed & in ſtatu, in quo ſemper fuit, & hodie etiam eſt, ſeu propter argumentum, & circumſtantias, ſeu propter effectus, meridiana luce clarius innoteſcet, fere ſemper de rebus parum honeſtis pertractare, vel de illis, quibus flagitioſarum affectionum ſcandala adhærent. Nonne eædem locutiones obſcœnæ ſunt vel ſaltem immodeſtæ, & æquivocæ non ſolum in veterum comœdiis, quæ ad hæc uſque tempora pervenerunt, verum etiam in illis quæ hiſce temporibus aguntur? Itali nonne comœdias ſuas his vocibus replent? Galli vero num minus pudibundi ſunt? Num his ipſius diebus hos eoſdem deprehendimus defectus in nonnullis comœdiis, quæ nuperrime in lucem editæ ſunt? Hiſpani vero nonne ſancta ipſa, & ſacra in ridiculos uſus traducunt? Si comœdiæ, & tragædiæ, quæ plurimis abhinc annis in Gallia exhibentur, apertis immunes ſunt obſcœnitatibus, nonne probro dignæ ſunt propter eam rationem, qua affectus noſtros pertractant? Quos enim effectus producere poſſunt teneræ locutiones cum reali repræſentatione conjunctæ, niſi corrumpant imaginationem, memoriam inferciant, & poſtmodum in intellectum & voluntatem, ac tandem in mores ipſos ſe effundant? Non deerunt profecto quamplurimi, qui nullam unquam in comœdiis pravam impreſſionem ſe percepiſſe teſtabuntur; ſed affirmo, vel hos numerabiles eſſe utpote paucos, vel hæc non bona fide dici, vel ſolam rationem, propter quam comœdia mores illorum non corrupit, hanc fuiſſe, quod hæc illos jam corruptos invenit, & illi nihil reliquum fecerunt, quod in ipſis operari poſſet comœdia.

Utrum ſit peccatum ad comœdiam ire.

Cum tribui nequeat certa reſponſio quærentibus, utrum lethaliter peccet, qui comœdiam ſpectaturus adit, aliquot propono regulas, quæ reſponſionis loco eſſe poſſunt: 1. certum eſt nefas eſſe ad comœdiam ire, ubi liqueat dramma repræſentandum malum eſſe, hoc eſt pudori, & honeſtati contrarium, in eo aliquid impietatis adeſſe, religionem, probitatem, pietatemque in jocum traduci, & ut verbo omnia complectar, talem eſſe, ut morum innocentiam corrumpere valeat; & ratio eſt, quia hoc eſt ſeſe palam peccati periculo objicere. Ad hæc præſentia tua probare videris inhoneſta hæc, vel impia drammata, ac tandem aliquid confers etiam peccato actorum, a quibus repræſentantur, qui ſi noviſſent, ſe in vacuo acturos fuiſſe theatro, ea drammata numquam luſiſſent. 2. Parentes prohibere tenentur, ne filii adeo pernicioſis comœdiis interſint, quia ſcelus cum voluptate in adoleſcentum animos irrepit, & quia in vitium magis, quam in virtutem ſunt proni. Magiſtratus item, qui locum tenent patrum publico-

blicorum; eccleſiaſtici, & ſeculares ſuperiores tenentur hæc inhibere ſcandala; neque illis ambigendum eſt, utrum rationem reddituri ſint Deo de interitu animarum, niſi omni utantur auctoritate, ut hoc tantum nefas coerceant. 3. Cum incertum ſit utrum ludenda drammata honeſta ſint, an ſecus, & bonis, maliſque mixta, qualia pleraque eſſe conſueverunt; quærere utrum illis intereſſe liceat; idem eſt, ac quærere utrum liceat ex mera voluptate, & ſine ulla neceſſitate ſe ſe objicere periculo committendi peccatum, qua in re nullus eſt, qui neget, Theologus. 4 Quamvis etiam ſcires in hac comœdia, vel tragædia nil minus honeſtum reperiri, attamen cum non deſint unquam circumſtantiæ, quæ ad peccatum impellant, hoc unum eas periculoſas poteſt efficere. Hæ autem circumſtantiæ ſunt affectionum, amorumque nodi, mulieres comptæ, atque immodeſte viſæ, muſici concentus, ac modulamina nimium tenera, & affectu referta, quæ illic immiſcentur, amores periculoſi, qui nimis blande exprimuntur, ac minus tenere repræſentantur, liberi actorum geſtus, quæ omnia ſimul efficiunt, ut plerique doctorum damnent & eos, qui comœdias repræſentant, & eos, qui iiſdem interſunt, ne iis quidem exceptis, qui interſunt, ut illis morem gerant, qui auctoritatem habent in eos, poſtquam nihil prætermiſerint, ut ſeſe contra periculum præmunirent. 5. Accedit præterea lex naturalis, quam conſcientia omnes homines docet, licet in his ſpectaculis nil eſſet, quod ad peccatum impelleret, vel excitaret; ſi nihilominus aliquis expertus eſt, ſe numquam illis intereſſe ſine tali noxa, teneri etiam, ut ſeſe abſtineat, alioquin mortalis criminis reus futurus. 6. Solus adſpectus æque, ac narratio ſola rerum inhoneſtarum, quæ in comœdiis repræſentantur, grave peccatum eſt; non enim licet videre, multoque minus attente conſiderare id, cujus adſpectus, & conſideratio concupiſcentiam accedunt, & impellunt voluntatem ad id faciendum, quod a Deo prohibetur. Sordes iſtæ ex actorum labiis emanare non poſſunt, quin audientium animam polluant, & quocumque modo illuc per oculos, vel per aures ingrediantur, mentem ſemper, & animum inficiunt. 7. Quamvis plerique eorum, qui ſpectaculis hujuſmodi interſunt, non aliud efficerent malum, quam ſcandalum, quod præbent præſentia ſua auctoritatem quandam addentes ſolatiis adeo periculoſis, quæ nemo dubitare poteſt, quominus ſint plurimorum ſcelerum cauſa; hæc una ratio ſatis eſt, ut inde inferamus, eos, qui de more hiſce ſpectaculis adeſſe conſueverunt, in ſtatu peccati habitualis verſari. Sed omnes iſtæ rationes ſimul ſumptæ effecerunt, ut illi omnes, qui hoc per tractarunt argumentum, affirmarent moraliter fieri non poſſe, ut aliquis ſine peccato comicis ludis interſit. Sententia hæc innititur ſanctorum Patrum & Conciliorum auctoritati, quorum plurimi extant canones, quibus hæc ſpectacula prohibentur: accedit etiam eccleſia, quæ nonniſi per impotentiam hoc malum tolerat, cui ſeſe opponere non poteſt: accedunt etiam leges civiles, quæ non permittunt hæc ſpectacula, niſi ut otioſorum hominum majus malum prohibeant, qui neſcientes qua in re tempus traducere, gravioribus criminibus ſe ſe ingurgitarent.

Eccleſia damnas hiſtriones, ideoque & comœdias.

Eccleſia damnat hiſtriones, atque ſimul ſatis ſe damnare comœdias putat: hoc paſſim in ritualibus præcipitur; & praxis ſemper eſt conſtans. A Sacramentis in vita æque, ac in morte arcentur; qui comœdias agunt, niſi artem ſuam abdicaverint; ſancta Synaxi prohibentur, tamquam publici peccatores; aditus ad ordines ſacros, tamquam infamibus hominibus, illis intercluditur; ideoque & eccleſiaſtica ſepultura illis denegatur. Quoad illos, qui comœdiis frequentes adſunt, quemadmodum alii aliis ſunt nocentiores, & quidam potius erudiendi ſunt, quam improbandi, non æque omnes reprehendendi ſunt. Ita eccleſia non contorquet anathemata in omnes: verum non inde inferendum eſt publica flagitia probanda eſſe, atque paſtorum, & concionatorum intereſt illos erudire.

Conſuetudo, & ſilentium magiſtratuũ nullam addunt auctoritate comœdiæ.

Tot publica edita ſunt contra comœdiam decreta, necnon tot rogatæ leges, quibus ea prohibetur, ut vix numerari valeant; neque hic locus eſt earum numerandarum. Si nunc temporis conſuetudo ſuperat, & abuſus prævalet, inde inferendum eſt ad ſummum, comœdiam rejiciendam eſſe inter ea mala, quæ æque ſemper & prohibentur, & committuntur. Verum enim vero quantumvis leges civiles auctoritate ſua comœdiam probarent; licet hiſtriones ab illis; uti factum eſt, nequaquam damnarentur, ſed probarentur; Præſules, & concionatores imitari debent Chryſoſtomos, & Auguſtinos; qui, cum leges minime valentes omnia radicitus mala convellere, ea vel tolerabant, vel permittebant, ſummi illi viri palam profitebantur, eos abuſus, atque flagitia evangelica lege prohiberi. Præterquamquod S. Thomas 2. 2. q. 39. art. 3. decidit, humanas leges nequaquam ad id teneri, ut omnia mala coerceant, ſed ea tantum, quæ directe ſocietati adverſantur.

Sanctorũ Patrum de theatris, atque ſpectaculis ſententia.

Profecto Patres non legit, qui, quod nonnulli faciunt, affirmant, ab ipſis in ævi ſui ſpectaculis vituperari tantum idolorum cultum, atque turpes & manifeſtas impudicitias. Profecto mentis compos non eſt, qui non intelligit rationibus eorum aliquid ulterius inferri; in theatrorum ſpectaculis improbant illi miram mentis diſſipationem, tumultum, ſpiritus commotionem homine chriſtiano parum dignam; in illis redarguunt excitatos affectus, vanitatem, immodicoſque ornatus, quos rejiciunt in earum pomparum numerum, quibus in baptiſmo abrenunciavimus, deſiderium alios videndi, & videndi ab aliis, nimium vanarum rerum amorem: in Patribus invenientur hæ omnes, aliæque complures rationes, propter quas hæc ſpectacula damnant. Quod ſi penetrare velimus doctrinæ eorum principium, nonne palam videbimus, eam damnari ſpiritum, qui ad ſpectacula adducit: ubi, ne omnia revocemus mala, quæ cum illis conjuncta eſſe conſueverunt, id unum quærunt homines, quomodo ſuimet ipſum obliviſcantur, atque conſcientiæ ſuæ quamdam tranquillitatem concilient, poſtquam Dei, divinarumque rerum guſtum amiſerunt.

S. Thomæ ſententia.

Quamquam S. Thomas 2. 2. quæſt. 87. art. 2. ad 2. theoretice & generatim mimorum, comœdiarumque artem, quos putant fortaſſe *hiſtrionis* nomine deſignaſſe, in albo earum artium, quæ culpa vacant, recenſuerit, attamen cum vulgatus eorum uſus ab eodem conſideratur, ipſe eos inter infames artifices recenſet, & lucrum inde quæſitum inter illicitos, turpeſque quæſtus adnumerat. Ecce quomodo S. Thomas comœdiæ favet, cujus auctoritate abutuntur, quia approbant illam, & qui ſe ejus patronos profitentur. Videtur enim 1. nequaquam certum eſſe ipſum de comœdia locutum fuiſſe, quæ tempore ejuſdem in uſu non erat poſita; ſaltem hac de re magna ſuppetit dubitandi ratio: licet etiam de ævi ſui comœdia fuiſſet locutus, noſtra ſingillatim in praxi eſt omnino contraria principiis, quæ ille ſupponit, ut cenſeat tolerandam.

Generatim dicere poſſumus theatrica drammatis nunc eſſe periculoſa, boniſque moribus contraria.

Quin ad examen revocemus gradum mali, quod ineſt in comœdia, quæ res a peculiaribus pendet circumſtantiis, ex iis omnibus, quæ hactenus dicta, & quæ deinceps dicenda ſunt, liquet, eam inter illa eſſe rejiciendam, quæ ſunt periculoſiſſima. Et peculiariter judicari poteſt, an ſancti Patres, & doctores, qui illam improbarunt, pati potuiſſent noſtrorum theatrorum jocos, & hominem chriſtianum ibi hiſtrionem agentem: neque enim credi fas eſt, cordatum inveniri virum, qui facile non concedat, hiſtrionem agere ſaltem ex profeſſione nequaquam eſſe homine chriſtiano dignum. Quod attinet ad theatrica dammata, quæ magnos cient affectus, cum illa fere periculoſiſſimis immorentur, quia iidem ſunt & jucundiſſimi, inficias nemo ire poteſt, hos illis excitari in audientibus illa, atque ea ex hac ſaltem parte pernicioſos moribus effectus producere. Qua in re veterum, quæ nobis ſuperſunt, comœdiæ multo minus periculoſæ ſunt; etenim, quod ego ſciam, de amatoriis rebus ibi non agitur, circum quas noſtræ omnes verſantur.

Effectus maxime pernicioſus comœdiæ eſt excitare, & fovere concupiſcentiam, atque amorem inhoneſtum.

Cum concupiſcentia atque inhoneſtus amor acerrima ſit impreſſio, quam in noſtris animabus peccatum facit, quod ſatis aperte liquet ex horribilibus malis, quæ producit in mundo, nihil periculoſius eſt, quam illam excitare, & amovere quidquid affectionem iſtam coercet, ejuſque vim prohibet. Ad id autem quam maxime prodeſt quidam horror, quem conſuetudo, & bona gignit educatio; hunc vero horrorem nihil imminuit magis, quam comœdia, atque fabuloſorum amorum ſcriptores. Quamobrem affectio iſta ibi cum honore prodit, & ea ratione, quæ tantum abeſt, quod horrorem cieat, ut potius illi conciliet amorem prodit enim ſine ullo pudore, & ſine infamia, eamque gloriæ ſibi vertit, qui eadem affectus eſt. Ita mens paullatim illi aſſueſcit, eam patitur, de eadem loquitur, & poſtmodum anima naturæ proclivitatem ſecuta eadem leniter ſe rapi permittit.

Ad

Conjugium, quod finis eſt, eſt honeſtiſſimarum comœdiarum probare non poteſt affectus, qui in illis repræſentatur.

Ad comœdias probandas, & fabuloſas amorum narrationes excuſandas inutiles eſt affirmare, ibi legitimos tantum affectus, & quorum finis conjugium eſt, repræſentari; etenim licet conjugium bene utatur concupiſcentia, hæc tamen in ſeipſa ſemper inordinata eſt neque licet eam vel in ſe, vel in aliis excitare. Spectanda ſemper eſt tamquam turpis effectus peccati; tamquam veneni fons, quo ſingulis momenti inſici poſſumus. Itaque quacumque honeſtatis ſpecie comœdiæ, fabuloſæque narrationes eamdem tegere adnitantur, inficias ire nemo poteſt, eas in hoc quoque bonis moribus eſſe contrarias, imprimunt enim jucundam turpis affectionis ideam, immo eam veluti heroicam qualitatem proponunt, cum nulla ſit nobilior, quam quæ in theatrorum heroibus deprehenditur.

Drammata pravas tantum exprimunt affectiones quia auctores auctoreſque ſpectatoribus placere ſtudent.

Comœdiæ finis poetas impellit ad eas tantum repræſentandas affectiones, quæ pravæ ſunt: etenim hunc ſibi proponunt finem, ſpectatoribus videlicet placendi, neque illis placere poſſunt, niſi actores ſuos induxerint loquentes, atque ſentientes eo modo, quo perſonæ, quæ ab illis repræſentantur, vel ad quas loquuntur, & dicunt, & ſentiunt. Non repræſentantur autem, niſi eæ perſonæ, quæ alicui turpi vitio obnoxiæ ſunt, neque agitur comœdia, niſi apud mundi ſectatores, quorum mens, & cor inordinatis affectionibus, ſenſibuſque pravis corrupta ſunt. Hinc nihil pernicioſius eſt ea morali, qua poetæ, & fabuloſarum narrationum ſcriptores utuntur, neque enim aliud eſt, quam congerie fallacium opinionum, quæ ideo tantum acceptæ ſunt, quia corruptas ſpectantium, vel legentium affectiones palpant.

Quonam in loco Scriptura prohibeat Comœdias, & choreas.

Fideles quidam cum ægre olim ab hujuſmodi ſolatiis abſtinerent, ſciſcitabantur, quonam in Scripturæ loco Deus choreas, comœdiaſque prohibeat. Fatetur quidem Tertullianus, nullum eſſe in Scripturis locum, ubi comœdia explicite ſub hoc nomine prohibeatur, quod ipſum de ſaltationibus, & choreis dici poteſt: quibus tamen omnibus interdictum eſſe affirmat 1. primi pſalmi verſiculo: *Beatus vir, qui non abiit in conſilio impiorum, & via peccatorum non ſtetit, & in cathedra peſtilentiæ non ſedit.* Hæc enim ea ſunt epitheta, quæ Tertullianus, aliique plures Patres ſecundum Spiritus ſancti ſenſum theatris attribuunt. Ideo nihil magis licet ad comœdiam, & ſaltationes pergere, quam prava exquirere conſilia, flagitioſa exempla ſequi, vel hæc aliis præbere, vel ſcelerum præcepta tradere, vel ea jubere, aut doctoris, & magiſtri inſtar perdocere.

Rationabiles ſenſus habendi de Comœdiis.

Donec comœdiæ in ſua tantum ſubſtantia conſiderabuntur, nemo ambigere poterit, quominus ſint indifferentes; etenim profecto non theatrum, non homines, non mulieres, non recitata, vel declamata carmina per ſe mala ſunt. Sed hæc omnia cum iis conjuncta circumſtantiis, quæ concomitantur hiſtrionum actionem, ea efformant ſpectacula, quæ Biblia, Patres, concilia, ac Theologi prohibuerunt.

Ad comœdiã, & choream ire pluribus peccati ſcandalum eſt.

Quemadmodum qui tenent licitas eſſe comœdias, fatentur tamen eccleſiaſticos, ſi ipſi iiſdem interſunt, ſcandali peccatum committere, propter quod reddenda iis ſit ratio aliorum plurimorum peccatorum, in quæ laberentur illi, qui eorum exempla ſequi ſe poſſe credidiſſent: ita & laici, qui pietatem profitentur, & in quibus nullam pravam impreſſionem comœdia, vel chorea faceret, ii nihilominus graviter Deum læderent, & plurium peccatorum eſſent rei, quia plurimi imbecilli ſpiritus, pro quibus chorea, & comœdia lethiferum virus ſunt, ideo aliquando theatra frequentant, quia hæc ab illis frequentari cognoſcunt, qui pii homines exiſtimantur.

In quo præcipue conſiſtit horum ſpectaculorũ ſcandalum.

Magnum ſcandalum, quod Tertullianus in ſpectaculis invenit, qualia ſunt ea, de quibus loquitur, hoc eſt, quod videlicet homines, atque mulieres ſimul illuc concurrunt, quod quantum fieri poteſt, omni pretioſa ſupellectili ornantur, quod videri geſtiunt, & videre, & quod oculorum conjectus, & laudes, quibus & hiſtriones, & ſaltatores excipiuntur, nec non lætitia, qua geſtiunt alios videre ſuæ ſententiæ participes, totidem ſunt fomites concupiſcentiæ.

PARAGRAPHUS VI.

Delecti ex Aſceticis, nuperiſque concionatoribus loci hujus argumenti.

Spectacula, de quibus loquimur, cient affectiones, quas coercere tenemur.

SI cupiditatibus noſtris in ipſis earum primordiis reſiſtere tenemur, non minus evitare tenemur ſumma diligentia quidquid illas excitare, atque fovere poteſt. Ad eas autem ciendas, fovendaſque extra omnem dubitationis aleam poſitum eſt, nihil aptius eſſe ſpectaculis, choreis, comœdiis, aliiſque id genus oblectamentis. Illic mens tumet ſuperbia, ubi videtur ambitio eſſentialis eſſe theatricorum heroorum character, ibique cor ſimulatis mollitur amoribus, qui ſæpe veros accendunt: ibi anima variis agitur gaudii, triſtitiæ, ſpei, miſerationis, & indignationis affectibus: ibi denique affectus omnes eo magis periculoſi ſunt, quo puriori cum voluptate percipiuntur, vacua ab illis angoribus, & curis, quæ illam fere ſemper concomitantur, & quæ efficiunt nonnumquam, ut illius tædio capiamur. Quid magis oppoſitum videri poteſt humiliationi mentis, cordis alienationi, paci, atque tranquillitati interiori, quam magis, magiſque in diem fidelis ſibi procurare debet, quam cogitationes iſtæ nobilitatis, impreſſiones amoris, & hic tumultus, atque agitatio omnium humanorum affectum? *Abbas de Monmorel in ſerm. in Dom. poſt Pentecoſten.*

Quantumcumque honeſta vel ſint vel fingantur hujuſmodi ſpectacula, vulgo tamen in vitium impellunt.

Quidquid in hujuſmodi repræſentationibus agitur, in vitium impellit, S. Chryſoſtomus inquit; verba, veſtes, inceſſus, vox, cantus, oculorum conjectus, corporis motus, inſtrumentorum ſonus, ipſaque etiam comœdiarum argumenta, omnia veneno repleta ſunt, omnia impudicitia perflant. Si quis e contra dixerit in hodiernis ſpectaculis omnia innocua eſſe, honeſta, & jucunde, huic facile reſpondebimus cum Tertulliano, hoc ipſum ſibi objicienti, nunquam ſel cum veneno fuiſſe commixtum; ſed potius exquiſitiſſimis dapibus infuſum fuiſſe, atque perdiligenter amaritudinem ſub ciborum deliciis abſcondi. Ita dæmon ipſe facere conſuevit in terrenis rebus, quæ ſuaviſſimæ ſunt, ſuum virus effundens. Eſto, hic Pater ait, quidquid ab hiſtrionibus exhibetur generoſum, honeſtum, ſcitum videatur, immo muſicæ illecebris conjunctum ſit: omnes iſtæ deliciæ conſiderandæ ſunt tamquam poculum mellis, cui virus commixtum eſt: hac igitur in re periculum vos magis moveat, quam voluptas. *Idem.*

Hæc ſpectacula ſunt oppoſita ſpiritui Chriſtianiſmi.

Inter ea ſpectacula, de quibus non melior vel accipi, vel tradi regula poteſt, quam eorum uſum penitus interdicere, adnumerandæ ſunt comœdia, & tragœdia: nil certe magis evertit regulas omnes, omniaque evangelicæ diſciplinæ præcepta, nihilque magis directe ſpiritui chriſtianæ religionis adverſatur, quam id genus ſpectacula. Spiritus Chriſtianiſmi ſpiritus eſt pœnitentiæ, mortificationis, puritatis, modeſtiæ, charitatis, & lenitatis. Senſus autem, quos hæc nobis ſpectacula inſpirant, ſunt ex diametro hiſce omnibus virtutibus oppoſiti, & dumtaxat apti ad cupiditate, & contraria vitia fugienda. Ita cum Sancti tanto ardore, ac vi contra ſpectacula invecti ſunt, ut fideles ab illis deterrerent, nequaquam ſe validiorem afferre poſſe rationem arbitrari ſunt, quam fidelium qualitatem, quam gerebant, & per quam ſolemniter omnibus pompis, inanibuſque ſæculi ſolatiis abrenunciaverunt. Cur adhuc participes eſſe vultis pomparum dæmonis, quas in baptiſmo deteſtati eſtis, ajebat Tertullianus ævi ſui fideles allocutus? Ubinam majori in luce dæmonis pompæ renident, quam in theatris, atque ſpectaculis? Illic quidquid in mundo eſt ad homines fallendos aptius, quidquid religio apertius damnat, & reprobat, palam in laude ponitur, & quodammodo conſecratur. Numquid poſt hæc ea licet intueri tamquam ſolatia, quæ ſint permiſſa, & quæ culpa vacent? *Pater Nepveu in libro cui titulus*: Conduite Chretiene.

Pericula, quibus obnoxia eſt conſcientia in hujuſmodi ſpectaculis, & repræſentationibus.

Quidquid repræſentatur, & circumſtantiæ omnes, quæ hujuſmodi repræſentationes concomitantur, palam virus, atque periculum earum oſtendunt. Quinam ut plurimum eſt comœdiarum finis? Pietatem, & religionem in jocum traducere, pudori atque modeſtiæ contemptum conflare, turpiſſimas cupiditates, & flagitioſiſſima cordis crimina auctoritate quadam probare. Illic graviſſima quælibet ſcelera eo pacto perſonata videntur, quod illis amorem conciliat; periculoſiſſimi affectus ea cum arte pertractantur, quæ illis facilem in cor aditum ſternit, cum adeo illuſtribus exemplis, felicibuſque eventibus commendentur. Hæc autem omnia exponuntur oculis ſpectatorum ab hominibus, qui immodeſtis veſtibus ornati ſunt, & qui pernicioſos ſenſus inſpirant, omnem cantus, & declamationis jucunditatem attribuunt, & qui nonniſi nimis frequenter fortaſſe eos induunt affectus, quos ſimulare videntur, vel ſaltem qui id unum quærunt, quomodo eos aliis inſpirent.

rent. Hujuſmodi autem repræſentationes locum præbent illis occurrendi, eaſque videndi, quæ innocentiæ ſuæ afferunt exitium. Illud accedis animo ad flagitioſiſſimam quamdam impreſſionem recipiendam diſpoſito. Hanc autem omnia, quæ vides, omnia, quæ audis, in te excitant, & fovent. Tot autem inter pericula, ſcopuloſque, quomodonam virtus, atque innocentia reſiſtere poſſunt? Sanctitas præ cæteris maxime conſtans, & conſumata contremiſcit, neque ſe ſatis tutam in abditiſſimis etiam receſſibus arbitratur: adoleſcentes vero, quorum virtus quidem imbecillis eſt, cupiditates autem acerrimæ, & cor molle, ſatis ſe fortes eſſe putabunt, ut periculo adeo certo, atque manifeſto ſe objiciant? *Idem.*

Effectus periculoſi, & funeſti, quos ſpectacula gignunt.

Satis funeſta nos docet experientia, quid ea ferat frequentia, qua hæc adeuntur ſpectacula: Dei oblivionem, ſacramentorum contemptum, officiorum ſuorum negligentiam, morum licentiam, atque irreligionem. Huc plerumque funeſta adducunt ſolatia eos, qui eiſdem interſunt: ſaltem nonne vulgo accidit pretioſum gratiæ theſaurum illic amitti, pudicitiæ teterrimas labes offundi, quibus, nullum ferme afferri poſſit remedium? Puella ad ſpectacula ſe confert: ut S. Cyprianus inquit, corde puro, & caſto, ſed illinc corde fœdato, corruptoque egreditur. Tot periculoſæ imagines, quæ remanent in mente, & quæ originem præbent plurimis pravis cogitationibus: tot tenera carmina & verſus amoris refertiſſimi, qui totidem ſunt profanæ, pravæque libidinis documenta, quorum memoria, quæ numquam ferme deleri poteſt, indeſinenter in animam ſubtile, & mortale virus inſpirant; hæc ea ſunt, quæ inde refert adoleſcentia, & quæ deinceps gignunt morum corruptionem numquam ſatis deflendam. *Idem.*

In ſpectaculis & hujuſmodi cœtibus noſmet periculo objicimus gratiam amittendi.

Videntur homines cujuslibet ætatis, & ſexus omnibus intereſſe voluptatum cœtibus, quin choreas, & comœdias excipias. Illi ſe in tuto eſſe arbitrantur, ubi quæſivere, utrum lethalis ſit noxa hujuſmodi indulgere ſolatiis, ubi aliquid ſibi reddi volunt, quod brevi omnem dirimat dubitationem. Heu! Fideles, ubi de veſtris bonis, veſtraque agitur, valetudine, numquid opus eſt, certiſſimam vobis earum oſtentare jacturam? nonne minimum quodlibet periculum vos terret? Occaſio gratiæ amittendæ multo magis vos terrere deberet; ſatis eſt enim ultro illius amittendæ periculum, ut jam fuerit amiſſa adire. Poteſtis autem ambigere, utrum vobis ullum immineat periculum, hæc adeuntibus ſpectacula, his ſolatiis perfruentibus; vos, inquam qui cordis veſtri corruptionem cognoſcitis, & qui conſcientiæ veſtræ judicio adeo male eam aſſeritis cauſam, quam coram mundo adeo belle tuemini? Sed ea eſtis ætate, eoque charactere præditi, ut nullum vobis immineat periculum. Quis hoc vobis promiſit, Fideles? Momentum funeſtum nonne in vobis accendere fortaſſe poteſt ignem male ſopitum? In hujuſmodi cœtibus, ſpectaculiſque nihil prætermittitur eorum, quæ hominum libidinem excitare poſſunt: ſenſus maxime teneri ibi cientur, atque ad id impeditur, quidquid virium, & ſuavitatis muſica habere poteſt. Nulla non adhibetur ars ad eam cupiditatem ciendam, quam ars nulla poteſt extinguere; vox autem in vobis ita confiditis; ut nullum vox adire periculum exiſtimetis? Quot homines ætate provectiores, ac maturitate ſapientiores illic mortale virus hauſerunt, quod eos perdidit? *P. Chemmais in 2. parte ſermonis de Conceptione B. Virginis.*

Communiter loquendo periculoſis hujuſmodi ſpectaculis intereſſe peccatum eſt.

At vulgo quæritur: peccatumne eſt hujuſmodi ſpectaculis intereſſe? Utique, Fideles, peccatum eſt voſmet temere, & ob ſolam voluptatem objicere periculo gratiæ amittendæ. Peccatum eſt præſentiam veſtram quandam auctoritatem præbere cœtibus profanis, ubi tota legis evangelicæ diſciplina everſa eſt, ubi omnia inhoneſti amoris dogmata magna cum arte, & gravi cum religionis ſcandalo venditantur, ubi audiuntur cantica, quæ paullatim cor molliunt, atque corrumpunt. Peccatum eſt perfrui cantionibus amorem, ac libidinem perflantibus, licet ab omni prorſus cupiditate eſſetis vacui. Etenim, amabo vos, inter hos cœtus, ubi, quin temerarium judicium fiat, credere poteſtis tot noxias cogitationes, tot turpia deſideria efformari, & fortaſſe ad clancu'um conveniendum locos indici; amabo vos, inter hæc iniquitatis myſteria fidelis quam carpere poteſt voluptatem, quæ vacet culpa? Peccatum ob temporis jacturam; dolemus tempus deeſſe, quibus chriſtianæ religionis officia obeamus; & occupationibus, negotiiſque majoris momenti temporis partes demimus impendendas nugarum ineptiis, inanibuſque ſpectaculis, quæ hac de cauſa ſatis eſſent criminoſa, niſi aliunde eſſent flagitioſiſſima. Peccatum ob pravum pecuniæ, quæ inſumitur uſum. Peccatum ob effectus, quos certiſſime gignunt in illis etiam, qui innocentiſſimi ſunt; mentis evagationem, Dei, divinarumque rerum negligentiam; orationum incuriam, mundi amorem: ibi enim regnum mundi eſt: & cœtus illi ex mundanis coaleſcunt perſonis, quæ cum immodeſtis ornatibus ſuis nil ultra quærunt, niſi ut videant, & videantur.

De licitis, & illicitis ſolatiis.

Quæritis, utrum, ſpectacula, comœdiæ, choreæ prohibitæ ſint, necne. Qua in re unum video principium, cujus ope omnes caſus in argumento decidere fas eſt: hoc autem eſt. In baptiſmo abrenunciaſtis Sathanæ, & operibus ejus. Hoc promiſiſtis, hoc juraſtis. Quænam autem ſunt opera Sathanæ? Hæc ſunt, ſi fides ſanctis Patribus habenda, ludi, voluptates, ſpectacula, ſolatia, cœtus, quibus ille præeſt: at ego ex vobiſmetipſis quæro: hæc ſuntne opera JESU CHRISTI, an opera Sathanæ? Nil enim medium eſt. Neque ideo dixerim a chriſtiana religione nequaquam permitti quaſdam corporis, animique relaxationes, ſine quibus labores nimium graves, & virtus auſtera nimium videretur; ſed hæc relaxationum genera ideo licent, ut inde ad occupationem magis ſeriam tranſitus fiat; neque earum alterum quempiam finem agnoſcit religio. Quidquid facimus, ploremus, gaudeamus, operemus, quieſcamus, omnia eſſe debent hujuſmodi, ut ad Deum referantur, quemadmodum inquit Apoſtolus. Hoc poſito, hæc ſolatia licent, necne? Dicere ne poteſtis, vos illis propter Dei amorem intereſſe? Hoc profanum opus, & Sathanæ inventum poteſtne invenire locum inter pura opera Chriſtianorum? Poteſtne Jeſus Chriſtus ullam habere partem in hujuſmodi recreationibus? Itane impudentes eſſetis, ut dicere auderetis: propter gloriam tuam, Domine, curro ad ſpectacula, ad mundanos cœtus, memet objectis hujuſmodi, quæ ſcandalum afferunt, objicio. Ego tibi hoc ſolatium offero. Propter amorem tui ad illud accedo, ut tibi placeam, tibique impenſius inſerviam. Aliquidne magis impie, & prudenter dici poſſet? *P. Maſſillon ſerm. de exiguo electorum numero.*

Lætandũ eſt, ſed cum modo, & Chriſtiano.

Neſcio, quanam faſcinatione factum ſit, ut in rebus omnibus, quæ vobis placent, modus deſideretur. Salvianus hoc exprobrabat ſæculo ſuo, & hoc ipſum noſtro poſſum exprobrare. Nonne turpe Chriſtianis eſt, ajebat ille, numquam eſſe contentos, niſi lædatur Deus, & pro nihilo habere id, quod citra ſcelus ſit? *An te non delectat gaudium ſimplex?* Felix eſſe non potes, niſi voluptas tua ad libidinem uſque procedat, & cœnarum tuarum ſumptus uſque ad mollitiem (Gaudete, fratres, addebat ille, non abnuo; hoc tantum cupio, quod in omnibus gaudiis veſtris nequaquam eos prætergrediamini terminos; quos lex vobis conſtituit. Hora, modus, menſura, finis, omnia chriſtiana ſint: *rideamus Chriſtiani, ſed chriſtiane. P. Girouſt in Adventu ſerm. de ſuavitate cultus Dei.*

Quomodo S. Cyprianus loquatur de tragœdiis ævi ſui.

Converte hinc vultus ad diverſi ſpectaculi non minus pœnitenda contagia: in theatris quoque conſpicies, quod tibi dolori ſit, & pudori. Cothurnus eſt tragicus priſca facinora carmine recenſere. De parricidiis, & inceſtis horror antiquus expreſſa ad imaginem veritatis actione replicatur, ne ſæculis tranſeuntibus exoleſcat, quod aliquando commiſſum eſt. Admonetur ætas omnis auditu fieri poſſe, quod factum eſt. Numquam ævi ſenio delicta moriuntur, numquam temporibus crimen obruitur, numquam ſcelus oblivione ſepelitur. Exempla ſunt, quæ eſſe jam facinora deſtiterunt. Tunc delectat in mimis turpitudinum magiſterio, vel quid domi geſſerit recognoſcere, vel quid gerere poſſit audire. Adulterium diſcitur dum videtur, & lenocinante ad vitia publicæ auctoritatis malo, quæ pudica fortaſſe ad ſpectaculum matrona proceſſerat, de ſpectaculo revertitur impudica. Itaque hujuſmodi repræſentationes evoment ſenſus, palpant affectus, pudorem, & caſtitatem ex modeſtiſſimis, honeſtiſſimiſque cordibus proſcribunt. Dic poſthæc, ſi audes, te ſine crimine ſpectaculis poſſe intereſſe. *Ex Epiſt. S. Cyprian. ad Donatum.*

Quidquid in comœdiis auditur, & videtur eſt occaſio peccati.

Conſiderate, quid ſint hæc omnia profana ſpectacula, ubi adhibetur, quidquid cupiditatis ignem accendere poteſt: objecta ad ſeducendum idonea, ſcenæ jucundæ viſu, magnificæ decorationes, fulgidæ veſtes, amoris myſteria ſummo ingenio explicata, languentes moduli, narrationes affectu refertæ, actores ſuaviſſima amoris argumenta ad vivum repræſentantes, armonici concentus, acutæ voces, geſtus venenati, diabolicæ incantationes, funeſta dæmonum adinventa! Perpendite, quid vobis hæc omnia ſint, quam inde cor veſtrum impreſſionem recipiat, quomodo ſenſus veſtri tunc afficiantur? Ex præſenti, atque præterito judicium ferte, & ſi bonæ fidei fueritis, certo ſcio, quin aliorum rationem habeatis, vos dicturos, in his omnibus proximam, & perſonalem peccati occaſionem inveniri. *Pater Maſſillon de fuga occaſionum.*

Quomodo mortales probare velint choreas comœdias, aliaque id genus ſpectacula.

Hæc præter propter eſt ratio, qua mundi ſectatores probare contendunt, choreas, ſaltationes, comœdias, aliaque id genus ſolatia. Hæc nullo ſunt in diſcrimine, inquiunt illi, nec bona, nec mala ſunt, atque tunc tantum peccata ſunt, cum iiſdem abutimur. Quæcumque enim ſit morum auſteritas, dici profecto nequit, quod audire auctores recitantes drammata, ubi ſcelus quidem pœna, virtus autem afficitur præmio, & ubi nonniſi de legitimo agitur amore, cujus finis ſacrum eſt vinculum; quantumvis ſevera ſit diſciplina, inquiunt illi, dici profecto nequit, hoc in ſeipſo eſſe peccatum. Hoc accidit choreis, aliiſque cœtibus, vel ſpectaculis, ubi nonniſi integerrimæ honeſtatis, & probitatis mortales intereſſe ſupponuntur. Si igitur hujuſmodi in occaſionibus peccatur, prava intentio ſingulorum, non autem ſpectaculum, quod natura ſua indifferens eſt, dici poteſt cauſa peccati; quandoquidem ſpectaculum fieri poteſt vel bonum, vel malum pro affectione eorum, qui eidem interſunt. Ita quidem mundus, non ita tamen ſancti viri loquuntur. Tobias nolebat audire eos, qui vel de ludis, vel de choreis ſermonem haberent; *numquam cum ludentibus miſcui me.* Tob. 3. & Jeremias propheta ſe numquam ejuſmodi ſocietatibus interfuiſſe profitetur, Jerem. 15. Si hujuſmodi ſpectacula, & ſolatia nullo fuiſſent in diſcrimine, non ita ſane, o Propheta, locutus fuiſſes. *Specimen ſermonum tom. 4. pro vigeſima tertia Dominica poſt Pentecoſten.*

Pericula, quæ ſunt in ſpectaculis deſumpta ex iis, qui iiſdem interſunt.

S. Hieronymus de ſaltatoribus loquens ait, dæmonem in eorum perſona ſaltare, & illis tanquam miniſtris ſuis uti ad homines ſeducendos, atque fallendos: *His tripudiis diabolus ſaltat, his dæmonum miniſtris homines decipiuntur.* Et profecto, quidquid artis impendere voluptas poteſt, in ſaltationibus, choreis, comœdiiſque invenitur. Si matronam quampiam interrogo, quanam mente temet præparas choreis? nihil prætermittis, ut teipſam comes, & ornes, omnibus artibus uteris, & formæ, quam tibi natura largita eſt, omnem addere contendis nitorem; ſed quænam tua mens eſt? Sane, ut videaris, & placeas. Inde vero, quid accidit? Chriſtiana puella, quæ vitam modeſte duxit, exiſtimans licere aliquod propter ordinem ſolatium capere, ſuimet perdendi ſeſe periculo objicit. Hic primus eſt dæmonis gradus, per ornatum, quem ad choreas adfers, te incipit expugnare, & jam ſuperat cor tuum. Ubi vero in cœtu es, quid agis? Quidquid vales, ut feſtiva, & ſuavis ab omnibus cenſearis, utque in earum numero ſis, quibus tamquam viſibilibus numinibus certatim honores exhibentur. Nonne hoc eſt pudori turpem labem offundere? Omnia dicere non licet; ſed certum eſt, ubi integrum ſit, ibi quaſdam fieri amoris declarationes, quæ nemo alibi auderet; atque in infelici eo commercio nexus quidam efficiuntur, qui poſtmodum ſecreto foventur; quid autem inde? graviſſima familiis mala, &c. *Ibidem.*

S. Auguſtini exemplum oſtendit, quam periculoſa ſint theatrorum ſpectacula.

Fatalia ſpectacula! Auguſtini pudicitiæ quam funeſta fuiſtis, & quam funeſta adhuc eſtis quotidie continentiæ plurium fidelium! verum quidem eſt, illum quæſiviſſe ſocietatem eorum, qui ejuſdem ætatis, ac ſtatus eſſent in omnem licentiam effuſi; ſed flagitia eorum perhorruit magis, quam amavit. Eorum quædam & ipſe patravit, & ſatis fuit gloriari, quaſi reliqua perpetraſſet, ne apud illos jacturam faceret ejus exiſtimationis, quam per libidinem fuerat adeptus, & ne illis eo contemptibilior videretur, quo viſus fuiſſet caſtigatior. Sed in comœdia, theatrique ſpectaculis & oculis, & auribus omne hauſit corruptionis venenum. Illic invenit, unde affectibus ſuis recentia alimenta præberet, illic unde cor ſuum induraret. Attamen hæc ſpectacula ſunt adhuc ſolatia honeſtorum virorum, & eorum etiam, qui virtutem, atque pietatem profitentur. Horrent flagitioſorum hominum ſodalitatem, illic enim jacturam faciunt exiſtimationis, cujus curam gerunt quam diligentiſſime; ſed comœdiæ cenſentur voluptates honeſtæ, quamvis nihil ſit periculoſius innocentiæ, quæ ibi ſemper patitur naufragium. Dic, quoad libuerit, illas principium religione, ac pietate fuiſſe coercitas, & auctores conſueviſſe vitii horrorem ciere, virtutis laudem celebrare, ipſaſque rectificare affectiones. Ex eo modo, quo drammata conſcribuntur, & repræſentantur, nimis adhuc innocentiæ metuendum eſt. Dicis, hæc moralia eſſe monita ad adoleſcentulos formandos accommodata, nonniſi licitos affectus ibi repræſentari, qui eo tendunt, ut nectatur conjugium, quod legibus omnibus tanquam virtus probatur. Sed muta nomen, fateberis non doceri virtutem, niſi ut ſuavius vitium in animæ penitiores ſenſus influat, pudorem eidem reſiſtentem induc... ut edoceantur puellæ pati, ut vincantur, atque ut legitimi alicujus amoris narrationem audientes ſemper nefarios amores concipiant. Hoc tua te docuit experientia, Auguſtine; quoties, cum bibulis auribus exciperes innocuæ affectionis hiſtoriam, accidit, at imaginationi tuæ inhoneſtum repræſentares affectum, tandem enim inde ſibi quiſque arripit, quod ſuam palpat cupiditatem, & quidquid illi adverſatur, relinquit; retinet, quod creaturæ amorem inſpirat, & abiicit, quidquid creatoris amorem inſpiraret. *Ex ſermonibus chriſtianis S. Auguſtini.*

Sententiæ quorumdam Sanctorum Patrum de periculo quod in ſpectaculis & comœdiis adeſt.

Fatetur S. Auguſtinus, amorem, quo ipſe deperiit ſpectacula, maximam ſibi fuiſſe voluptatis illecebram, & nunquam inde æque pudicum egreſſum fuiſſe, ac fuerat ingreſſus; etenim quidquid ibi videtur, quidquid auditur, avocat a virtute ſenſus, mentem ſeducit, animumque corrumpit. Hac de cauſa S. Cyprianus ait, comœdiam eſſe impuritatis lycæum, & locum, ubi proſtat pudicitia. Salvianus Maſſilienſis Epiſcopus ait, ævo ſuo in baptiſmate peculiariter comœdiis etiam fuiſſe abrenunciatum. Eas tamquam publicam peſtem evitari jubet S. Chryſoſtomus; & Tertullianus in libro de ſpectaculis oſtendit, & probat chriſtianam religionem perhorreſcere hujuſmodi ſpectacula, eaque ferre non poſſe. Minutius Felix in apologia, quam pro fidelibus tuendis elucubratus eſt, contra periculoſa hujuſmodi ſolatia declamat. *Liber cui titulus: Inſtructio chriſtiana pro educatione puellarum Cameracenſis Antiſtitis.* cap. 13.

Quam primi Chriſtiani abeſſent a profanis ſolatiis.

Ethnici nil aliud primis exprobrabant fidelibus, niſi quod a circo abhorrebant, fugiebantque theatra, & ſpectacula publica. Hæc enim præcipua erant crimina, quæ illis vitio vertebantur, nobiſque adhuc ſuperſunt diſertiſſimæ apologiæ, quas in vulgus edebant, ut glorioſis his accuſationibus reſponderent. Et ſane habemuſne eamdem fidem, audemuſne eumdem ſperare paradiſum, quem homines illi, quorum elogium texit Tertullianus in Apologetico ſuo, qui gloriantur ſe neſcire, quid ſit amphitheatrum, neque umquam prophanis his interfuiſſe ſolatiis, neque audere ne verbum quidem de illis, & ne pati quidem de illis ſibi verba fieri? Quodnam diſcrimen ajebat Arnobius quarto diſputationis ſuæ libro contra Gentiles, quod diſcrimen inter veſtros cœtus, ludoſque publicos, & eos conventus, quos nonnunquam nos ipſi inſtituimus lætabundi; hos conventus, inquam, ubi nihil videtur, ubi nihil auditur, quod virtutem non perflet, ex quibus ſemper recedimus magis humani, pudici, modeſti, atque parati ad ultro, citroque nobis veræ charitatis teſtimonia præbenda: *in quibus aliud auditur nihil, niſi quod humanos faciat, niſi quod mites, verecundos, pudicos, caſtos,* & quæ ſequuntur, P. de la Colombiere ſerm. 49.

Quiſque ſibi perſuadere vult comœdiam eſſe ſolatium laudabile, atque honeſtum.

Olim qui theatrica deperibant ſpectacula, fatebantur ſaltem ſe in hoc non ſequi regulas religionis chriſtianæ: ſed ſæculi hujus character eſt conſociare velle ſimul ſpirtum pietatis, & ſpiritum mundi; non ſatis eſt ſequi vitium; illud etiam in honore habere volumus, neque coinquinari turpis vitii nomine patimur, quod ſemper paullatim perturbat eas voluptates, quibus fruimur, horrore, qui hoc nomen concomitatur. Facere igitur conamur, ita ut conſcientia ſeſe cum cupiditate concilie t, neque illa hanc importunis ſtimulis urgeat; & in hoc potiſſimum adniſi ſumus circa comœdiam: cum enim nullum ſolatium ſit mundi ſectatoribus hoc jucundius, atque ſuavius, illorum quam maxime intererat ſuavem, atque tranquillam fruitionem ſibi comparare. *Tractatus de comœdia in libro, cui titulus:* Les viſionnaires contre le Sieur Deſmaret.

Ultio in drammatibus ſæpe probatur.

Cupiditates excitantur objectis, atque fallacibus opinionibus, quæ mentem prævertunt; opinio, quod honoris chimæra tantum ſit bonum, ut vitæ ipſius